

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

LEGE DIVINA,

Quam

Deo Propitio

IN ALMA VIADRINA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO ET SERENISSIMO REGIO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

FRIDER. WILHELMO,

REGNI PRUSSIAE, atq; ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HEREDE &c. &c.

PRÆSIDE

BARTHOLDO HOLTZFUS,

D. & PROF. THEOL. ORDIN. ac V. D. M.

FAUTORE & PRÆCEPTORE SUO

Venerando,

Ad D. VI. Septembr. A. O. R. M DCC X.

H. L. C.

Eruditorum placido Examini

subjicit

NICOLAUS W. THOLDI,

Transylvanus.


diss. A
10



FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.

1811 A. 181 (10)



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



25



DE MEDIIS SALUTIS.

I.



Edia salutis pro diversitate Oeconomiae Salutis, quam alii duplicem, alii triplicem constituunt, diversa fuerunt. Sub *Promissione* nulla adhuc Lex scripta extabat; Medium ergo salutis tunc erat *Lex cordibus hominum inscripta, ac Promissio, & fides promissioni habita: quæ Circumcisione confirmabatur.*

II. Sub *Legis* Oeconomia *Lex scripta* medium salutis erat *externum*, cui addita fuerunt *Sacramenta ordinaria, Circumcisio & Esus agni Paschalis.* *Interna* salutis media erant, *Fides*, non tantum *in Deum*, sed & in exhibendum aliquando *Messiam*, qui fidelibus sub *Typis & umbris* proponebatur; & *Obedientia Legi Mosis* præstanda.

III. Sub *N. T.* Media salutis externa sunt: *Lex & Evangelium.* *Lex*, ut *Peccati* nos convincat, *Evangelium*, ut *medicinam* nobis præparet, & *morbum* curet,

IV. Media interna sunt *Fides & Resipiscentia*, sub quibus comprehenditur, *sincerum obsequium.*

DE LEGE.

V. *Lex* Heb. dicitur תורה, quæ vox *Legem*, ac *Doctrinam*, qua monstratur, quid oporteat facere, signi-

gnificat, a Rad. ירה *jecit, jaculatus fuit*, in Hiph. הורה *docuit*. Græce Νόμος, a verbo νέμω, *tribuo, distribuo*, quod Lex doceat suum cuiq; tribuere. Latine *Lex* vel a *Legendo*, dicitur, sive quia docet, quæ sint *eligenda*; sive quia Lex scribitur & promulgatur, ut *Legatur* ad informationem subditorum; vel a *Ligando*, quia Lex homines obligat ad committendum bonum & omittendum malum. Germanice *das Gesetz* / quia *ponit* s. *statuit* & *ordinat*, quid sit agendum.

VI. *Lex, in genere*, est Regula vitæ perseverans præscripta ab eo, qui Auctoritatem habet, obligandi societatem, publicæ salutis causa, dirigens actiones humanas in bonum & avertens a malo, sufficienter promulgata.

VII. Estque vel *Divina*, vel *humana*, de qua agitur alio loco. *Divina* est vel *Æterna* vel *Temporalis* & *Moralis*, eaque vel *Naturalis* vel *Moralis* specialiter sic dicta, vel *Positiva*, quæ vel *Ceremonialis* vel *Forensis*.

VIII. *Lex Æterna* nihil aliud est, quam ratio Sapientiæ Divinæ, existens in Deo ab æterno, directiva omnium actuum ac motuum omnium creaturarum ad bonum universi. vid. Thom. 1. 2dæ, q. 93. Artic. 1. De qua Cicero l. 2. de Legib. c. 4. *Hanc video Sapientissimorum fuisse sententiam, Legem neque ingenii hominum excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem Legem illam & ultimam, mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis DEI: ex qua illa Lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata.*

IX. *Lex Moralis* ita dicitur, quia mores spectat, eosque dirigit; & definiri potest, quod sit perpetua & immutabilis vivendi norma, secundum quam Deus vitam

vitam

(5.)

vitam nostram vult dirigi; atque obedientes præmio, inobedientes vero pœna afficit.

X. Hæc dividitur in Legem *Naturalem* & *Moralem* specialiter sic dictam.

DE LEGE NATURÆ.

XI. Lex Naturæ Apostolo dicitur τὸ ἔργον τῶ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις. Rom. 2, 15. Aristoteli Δίκαιον ἔμψυχον. Ciceroni Orat. pro Mil. *Lex non scripta, sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expresimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* M. Antoninus Imper. lib. 3. §. 6. appellat τὸν ἐν ἡμῖν ἐνδρυσμένον δαίμονα, *genium in nobis situm.*

XII. *Lex Naturæ* est dictamen rectæ Rationis Creaturæ rationali a Deo, Naturæ Auctore, impressum, obligans hominem ad Actiones ei conformes præstandas, honestas sectandas, turpes fugiendas. Ulpianus definivit jus Naturæ, *quod Natura omnia Animalia docuit.* Verum, licet hæc definitio, si late pro inclinatione & instinctu naturali, homini cum brutis communi, accipiatur (quo spectant, defensio vitæ, procreatio sobolis, amor libertatis) excusari possit; tamen si jus strictè & accurate accipiatur, erronea est: Nam (1) Definitio illa confundit instinctum naturæ cum jure naturæ. (2) Bruta juris proprie sic dicti capacia non sunt, cum destituantur fundamento juris, scilicet ratione; & boni ac mali moralis cognitione: unde Cujacius Ulpiani definitionem ita exponit. *Jus naturæ brutis dici commune, non quod jus ipsum in illis reperiatur, sed quia id in iis deprehenditur, quod, quando in homine est, jus dicatur.*

XIII. Non tamen est ipsa natura rationalis, secundum se s. præcise spectata, quod volunt Vasquez.

A 3

& Me-

& Meratius; Sed aliquid ab ea distinctum; neque est ipsa *Conscientia*; sed est regula universalis agendorum & vitandorum menti inscripta, secundum quam *Conscientia* examen sui instituere debet. Ubi Regulæ istius cognitio animo alte infixata dicitur *Συντήρησις*, præbetque Propositionem majorem; v. g. omnis homicida dignus est morte; *Συείδησις* vero s. *Conscientia* suggerit factum ac præbet Assumptionem s. Minorem propositionem: Ego sum homicida; *κρίσις* autem format iudicium & infert conclusionem. *Conscientia* itaque respectu *Propositionis* dicitur *Lex*; respectu *Assumptionis*, *Index* vel *Liber*; respectu *Conclusionis*, *Judex*.

XIV. *Innata* dicitur, non ratione actualis notitiæ, quasi a primo natiuitatis momento cuiusvis menti obversetur, quippe cuius notitiæ infantes incapaces sunt; sed ratione habitualis dispositionis animi, qua homines natura apti & proclives sunt ad assensum capitibus huius Legis præbendum, & ad agnoscendam suam erga eam obligationem, simul ac idonea occasio offeratur, Legis huius Argumentum percipiendi.

XV. *Causa Efficiens* est ipse *DEus*, Naturæ Auctor, qui hanc Legem scripsit, non in libro, neque in tabulis lapideis, sed in cordibus hominum, quod ostendunt *κοινὰ ἔννοιαι*, s. Principia menti nostræ insita, quorum beneficio ipsi Gentiles honestum a turpi, iustum ab iniusto, lumine naturali, discernunt. Unde Apostolus Rom. 2, 15. scribit; quod *Gentiles sibi ipsis Lex sint, ostendentes opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* adde Rom. 1, 19. Nam teste Cicerone in *Fragm. Philos.* *Est communis quasi Magister & Imperator omnium Deus. Ille Legis huius inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur, hocque ipso luet maximas pœnas, etiamsi*

etiamsi

etiamsi cetera supplicia, quæ putantur, effugerit. Conf. Lactant. lib. 6. cap. 8. Quæ Cicero corroborat verbis §. 8. allatis, ex lib. 2. de Leg. c. 4.

XVI. Hanc Naturæ Legem DEus non ideo tantum tulit, mentibusque hominum inculpsit, ut ostenderet, hominem ut creaturam dependere a Deo, tam in esse physico, quam in esse morali: Generalis enim hæc ratio ad Leges Positivas quoque pertinet; Sed ut homo tanquã creatura intellectualis Creatori & exemplari suo in Sanctitate & iustitia conformaretur, ac Deo ut fini suo per sincerum amorem magis magisque uniretur; quo spectat quod Deus edicit Lev. 19, 2. *Sancti estote, quia Ego sanctus sum.* Quod repetit Petrus 1. Ep. 1, 15. adde Matth. 5, 48. Luc. 6, 36. Eph. 5, 1.

XVII. *Fundamentum* igitur potestatis hujus legislatoriæ est Sapiens, Sancta & Justa *Dei natura*, atque ad hanc in homine expressa *Imago Dei*, magis magisque Deo conformanda; ex qua oritur Deo jus plenissimum mandata præscribendi creaturæ rationali: Cui perfectioni divinæ & humanæ accedunt *beneficia Dei*, Creatio, Conservatio, Sustainatio, in creaturam collata.

XVIII. Quæ confirmat Cicero, idoneus hac in re testis, lib. 2. de Leg. c. 5. *Est Lex justorum injustorumque distinctio ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam Leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos affligunt, & defendunt & tuentur bonos.* Et Philippica XI. c. 12. *Est Lex nihil aliud, nisi recta & a Numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.* Id. 1. 2. de Leg. c. 4. *Vis ad recte facta vocandi, & a peccatis avocandi non modo senior est, quam ætas populorum & civitatum, sed æqualis illius, cælum atque terras tuentis & regentis, Dei: neque enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in*
rectis

rectis pravisque sancendis habere. Non enim si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiae attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura & ad recte faciendum impellens, & a delicto advocans, quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est. Orta autem simul est cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum & ad vetandum, ratio est recta summi Jovis. Id. in fragm. philol. Est vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat.

XIX. Idem senserunt Stoici & Platonici docentes naturæ convenienter vivendum esse; nam Chrysippus ap. Laërt. l. 7. in Zenone Segm. 88. inquit, eum convenienter naturæ vivere, qui nihil eorum agit, quæ a communi lege prohiberi solent, quæ est recta ratio in omnes perveniens, eademque in Jove doctore omnium quæ sunt. & Hierocles ad aurea Carmina Pythag. ait: λόγῳ δε θεῶν κείθεσαι καὶ τῷ θεῷ ταυτὸν ἐστὶ. ratione hac addita: Natura enim quæ rationis est particeps, ea amplectitur quæ præscribit Lex Divina. & Philo Judæus, de Migrat. scribit: Convenienter naturæ vivere, esse, ὅταν νῆς ἔπηται θεῶν, τῶν προσάξεον αὐτῆς μεμνημένῳ.

XX. Errant, qui fundamentum Legis hujus ponunt irresistibilem Dei potentiam; cum potentia irresistibilis, præcisa Bonitate, Sanctitate & Justitia, vix potius Tyrannicam sapiat, quam dignam summo Numine potestatem. Notanter Seneca Epistola 97. Illic dissentiamus cum Epicuro, ubi dicit, nihil justum esse natura, & crimina vitanda esse, quia vitari metus non possit. Dissentiunt item, qui solam actualem ac liberam Dei Voluntatem potestatis hujus Legislatoriæ fundamentum

tum

tum constituunt. Ast quæ hic præcepta sunt, ideo præcepta sunt quia in se & sua natura bona sunt, & quæ prohibita, quia in se & sua natura turpia sunt; non autem inde bona, quia præcepta, neque inde mala, quia prohibita sunt. Quare improbanda est assertio quorundam; Deum potuisse contraria omnibus Præceptis Decalogi præcipere, quod à sanctissima Dei natura abhorret: E contrario, quæ Deus hic præcepit, ea non potuit non præcipere, & quæ vetuit, non potuit non vetare: quia Lex hæc fundatur in Naturæ Divinæ sanctæ perfectione, vi cuius, non potuit non hominibus ea officia præscribere, quæ tum ex sua, tum ex horum natura sequuntur, nec potuit non ea vetare, quæ à Dei & hominum, recta ratione utentium, natura abhorrent. Præclare Cicero L. I. de Leg. c. 10. ait: *nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed naturâ constitutum esse* Jus. add. c. 13. 14. 15. 16. Vid. C. de Volunt. D. §. 16. 17.

XXI. *Subjectum* est Creatura rationalis, qua continentur Angelus & homo. Loquendo vero de Creatura rationali corporea *Subjectum Denominationis* est *Homo* omnis & solus. *Omnis*: quia omnes ex æquo, etiam gentes, naturæ rationalis participes sunt. *Solus*: quia soli homines præcepta legis hujus intelligere, Legislatoris autoritatem agnoscere, actionesque suas ad leges componere possunt. Non bruta, quia fundamento juris, scil. intellectu & voluntate carent. Quocirca & Apostolus solorum hominum mentionem facit, Rom. 1, 19. c. 2, 15.

XXII. *Subjectum inhæsionis, remotum est, Anima*, Rom. 2, 15. *proximum*, ratione cognitionis, *Intellectus*; ratione praxeos, *Voluntas* & appetitus sensitivus; unde sicut nullus homo sana mente præditus, nullaque natio adeo barbara vel adeo a moribus humanis aliena, cui Deus

B

noti-

notitiam honestorum vel turpium, saltem generalem, ut primam regulam ac primum omnis moralis & honestæ actionis principium naturaliter non indiderit: Ita quoque nullus homo, sana mente præditus, nulla-que natio adeo fera atque extra mores projecta, est, quæ honestum s. virtutem colendam, turpia vero s. vitium, saltem generaliter & confuse, vitandum esse ignoret. Quem in sensum emphatice animam discipulam hic compellat Tertullianus lib. de Testim. animæ. c. 1. verbis seqq. *Non eam (Animam) te advoco quæ scholis formata, bibliothecis exercitata, academicis & porticibus Atticis pasta sapientiam ructas; Te simplicem & rudem & impolitam & idioticam compello; qualem habent, qui te solam habent, illam ipsam de compito, de trivio, de textrino totam.*

XXIII. Hinc *notiones Theoreticæ* sunt: Impossibile est idem simul esse & non esse: datur Deus: bis tria sunt sex; si æqualia æqualibus addas, totum erit æquale. *Practicæ*: Deus amandus & colendus; Parentes honorandi; Virtus sectanda, Vitia fugienda, honeste vivendum, nemo lædendus, suum cuique tribuendum: quod tibi fieri vis, alteri quoque faciendum.

XXIV. *Objectum* est vel *Personale*, Deus colendus; homo ipse legitime & ordinate amandus, conservandus; & *Proximus*, amandus: vel *Reale* quodvis *πρακτικόν* s. saltem agibile in genere. Tametsi enim Lex Naturæ ad *speciales* casus & particulares Virtutum actus, in hoc rerum statu, pro varia circumstantiarum ratione, non descendat; præterea *Evangelicos* Virtutum actus, v. gr. in Christum credendum, sacramentis utendum, prorsus ignoret; in genere tamen, s. *quoad genus*, Virtutū actus, quæ sunt boni, commendat & præscribit.

XXV. *Forma* est vis directiva & obligativa conscientia hominum ad bonum prosequendum & malū fugi-

fugiendum, per impressionem naturalem in mente creaturæ rationalis facta. a Cicerone appellata *vis ad recte facta vocandi & a peccatis avocandi*. de Leg. l. 2. c. 4.

XXVI. *Finis per se* intentus non est sola sui, quovis modo facta vel Societatis Conservatio, quod vult *Hobbefius* &c. Sed erectio moralis ejus imperii, quod Deus in Animas hominum sibi subditorum exercet. In specie (1) Dei agnitio & cultus Rom. 1, 19 20. vel nondum agniti inquisitio, Act. 17, 27. (2) Morum hominis ad hanc legem directio. (3) Legitima, honesta & ordinata sui conservatio & destructionis amolitio. (4) Politicæ societatis conservatio &c. *Finis per accidens* s. *eventus* est hominum immorigerorum inexcusabilitas. Rom. 1, 20.

XXVII. *Sancita* est hæc lex *præmio*, quod est Felicitas perennis hominis obedientis; & *pæna*, quæ est miseria hominis inobedientis.

XXVIII. *Adjuncta* sunt (I.) *Inhæfio* naturalis, Rom. 2, 15. c. 1, 19. (II.) *Identitas* apud omnes, saltem ratione primorum principiorum. *Conclusiones* vero, quia ex corrupta hominum natura, prava sæpe educatione & diversa conversatione &c. procedunt, variarunt passim. Unde *Gentes* quædam cultum falsorum Deorum, *ἀνθρώπων θεοῦσιαν* probarunt; incestum, furta & rapinas permiserunt: *Germani* Deorum maxime *Mercuriū* coluerunt, cui, certis diebus, humanis quoque hostiis litarunt. *Galli veteres* & *Samothraces* hostiis hominum litasse referuntur. *Legibus Romanis* licebat parenti filium ter vendere. *Iisdem* legibus, si servus herum occidisset, conservi innocentes ad necem rapiabantur. *Legibus XII. Tabularum* licebat marito uxorem interficere, si vinum oleret. In *Cypro* virgines dotem corpore merebantur. Alibi etiam fornicatio simplex crimen non erat: quo referunt illud ap. Ter. Adolph. Act. 1. Scen. 2. *Non est flagitium*

gitium adolescentem scortari. Corinthii & Babylonii in simplici scortatione Cultum Numinis collocasse feruntur, teste Strabone lib. 8. & Herodot. lib. 1. Ovidius inquit:

Gentes tamen esse feruntur

In quibus & Nato genitrix & filia Nato

Fungitur, ut pietas geminato crescat amore.

Apud *Lacedamonios* fures impunes erant, modo ne in ipso furto deprehenderentur. Vid. de *Αυθροποθυρία* s. *Immolatione hominum*, *Grotium de Satisfact. Christi* C. 10. p. m. 159. fin. 160. 162. 163. (Edit. Leid. in 4.) de hac ut & *Scortatione* & c. *Calixtum* Epit. Theol. Moral. p. 49. 50. seq.

XXIX. (III.) *Immutabilitas*: Cum enim Lex hæc fundetur in natura rationali, quæ semper eadem est, sitq; *ἀπορροή* s. egressus vel gutta qf. Legis æternæ in DEO, inde ex cordibus hominum, saltem quoad præcepta generalia, non penitus *deleri*, nec *abrogari* potest, ut desinat obligare: nec mutatur sed declaratur & applicatur per *additionem*, qua potestas divina vel humana quædam definit, quæ lex Naturæ generalis reliquit indefinita, v. gr. in furtis, adulteriis, monetæ falsatione, aliisque delictis, certo pœnæ genere plectendis; quicquid ergo hic accedit est specialis ex generali deductio & ad certum *subjectum* vel *objectum* applicatio, non autem legis mutatio.

XXX. IV. *Indispensabilitas*: Cum enim fundetur in *Natura Dei* sancta & in *natura hominum* rationali ad *Imaginem Dei* expressa, inde quoque obligatio ab ea tolli non potest: quia *Dispensatio* est exemptio & ablatio obligationis ab homine quodam in particulari, in aliquo casu, reliquis manentibus obligatis. Bene *Cicero* Fragm. Philos. *Huic Legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest; nec v. aut per senatum aut per populum solvi hac Lege possumus: neque est quærendus explanator, aut interpret ejus alius: nec erit alia Lex Romæ,*

Romæ,

Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed & omnes Gentes & omni tempore una Lex & sempiterna & immortalis continebit. Interim distinguim9 inter Jus Divinum naturale increatum, s. Legem naturæ primariam, quæ fundatur immediate in ipsa natura & Sanctitate Dei, quam Deus abnegare non potest, 2 Tim. 2, 13. & Jus Divinum naturæ Creatum, ac Legem Naturæ Secundariam, quæ fundatur in natura rerum secundum constitutionem a Deo semel factam ac decentiam s. convenientiam rerū inter se invicem. Ut illa est simpliciter immutabilis atque indispensabilis, neque ullus datur casus, quo Deus v. gr. de Odio sui, blasphemia, Idololatria, perjurio, mendacio, homicidio privato temerario, relaxare possit: Ita hæc, licet in certis casib9, aliter se habentibus rerum ac personarum circumstantiis, ab ipso Deo quidem Legis hujus Auctore, mutari & declarari potuerit; ex hypothesi tamen ordinis a Deo semel instituti, immutabilis atq; Indispensabilis est habenda. Sic Deus (etiamsi plura paria hominum creare, sicque difficultatem omnem tollere potuisset) initio Creationis Conjugium fratrum & sororum permittere voluit, ut eo evidentius ex uno sanguine omne genus humanum propagaretur, Act. 17, 26. Nunc autem Naturâ constitutâ, post multiplicationem generis humani, ejusmodi Conjugia merito illicita, propter reverentiam sanguinis, habentur. Vid. Turretin. Theol. Elencht. Loc. XI. qu. 2. §. 6. 7. Quæ pro Dispensatione, ut facta, objici solent, ea afferuntur infra *De Lege Morali in specie sic dicta.*

DE LEGE MORALI MOSAICA.

I. PRæter generale nomen Legis Hebraicū תורה & Græcum νόμος, occurrunt voces Hebraicæ Deut. 5, 31. מצוות Præcepta חוקים Statuta, & משפטים Judicia;

dicia; e quibus illam legi *moralis*, istam *cerimoniali*, hanc *forensi* vindicant; quæ tamen quandoque *Synonyma* sunt, idemque significant, ut Ezech. 20, 11, 13, 16, 19.

II. *Moralis* dicitur hæc Lex, a *moribus*, quia vitam & mores hominum dirigit, quomodo homines erga Deum, se ipsos, & proximum se gerere debeant. Et quandoquidem hæc Lex omni homini competit, inde patet, quod omni etiam statui hominis tribuenda veniat, & locum habeat tam in statu Innocentiæ, quam in statu Peccati & Gratia, atque adeo regula perpetua, constans & immutabilis sit. Nam DEUS nunquam definit nos obligare ad amorem sui & proximi.

III. *Auctor* hujus legis est *Deus*, & quidem *ἰσχυρὸς* spectatus. Exod. 20, 1. Jac. 4, 12. *Christus* vero tanquam *Angelus fœderis* Legem illam dedit. Exod. 31, 21. Act. 17, 35. 38.

IV. *Causa ministerialis* sunt (1) *Angeli*, Act. 7, 53. *Accepistis Legem in dispositione Angelorum.* Gal. 3, 19. *Lex ordinata per Angelos.* Heb. 2, 2. *Sermo dictus per Angelos.* qui Deum, ut summum Imperatorem, stipabantur. conf. Deut. 33, 2. (2) *Moses*, Mal. 4, 4. conf. Joh. 1, 17. quem Paulus exinde *Mediatoris* nomine dignatur, Gal. 3, 19. *Lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris.* quia Moses Orator, Internuncius & Interpres fuit Dei ad homines, & hominum ad Deum. Ubi Mosen intelligi probant rationes sequentes: (1) quia Moses tabulas Legis in manu gestavit, cum iterum e monte descenderet, stetitq; inter Deum & populum, ac verba Dei ad populum, populi vicissim ad Deum tulit. Exod. 19. v. 18. (2) quia ib. *Lex* adjecta dicitur propter *transgressiones*, quod non de Lege Fidei & Resipiscentia, sed de Lege Mosis intelligi potest. (3) quia *ἐν χειρὶ μεσίτου* significat opera & ministerio Mediatoris; quod melius Mosis, ut ministro, quam Christo convenit. (4) quia Chri-

Christus Novi & melioris Testamenti Mediator dicitur Heb. 8, 6. oppositè ad Mediatorem V. T. (5) quia *Lex per Moysen data esse dicitur, Gratia vero per Christum facta*, Joh. 1, 17. Consentiant præter Veteres, Epiphanium, Theodoretum, Gennadium & multos Pontificios, Coccejus, Wittichius, Burmannus, Momma, Braunius &c.

V. *Subjectum* est creatura rationalis; & hoc sensu dici posset, ipsos etiam Angelos esse subjectum Legis in genere; hic vero sunt omnes *homines*, primario quidem Judæi, secundario vero gentiles. Menasse Ben Israel observat: Idcirco *Legem in deserto, loco omnibus communi, latam esse*, quo significetur, *posse, quicumq; vellent, per eam, salutem suam obtinere, tametsi præcipue Israelitis data foret*. Conciliat. in Levit. Qu. 7. p. 192.

VI. *Materia ex qua*, sunt præcepta, quibus Lex hæc constat, in *Decalogum* s. *decem præcepta* redacta: quot præcepta numerantur Exod. 34, 38. Deut. 4, 13. c. 10, 4. Quorum sensum mysticum aperuit Christus Matth. 5, 20. seqq. omniaque præcepta ad Amorem Dei & proximi contraxit. Matth. 22, 37. 38. 39. 40. Rom. 13, 8 9.

VII. *Judæi* in universum præcepta 613. numerant, quæ distinguunt in *Affirmativa* & *Negativa*. Heb. מצוות עשה *Præcepta Fac*, s. *Facias*. & מצוות לא תעשה *Præcepta Non facies*. Affirmantium s. *Jubentium* faciunt 248. quot membra, putant, esse corporis humani; Negantium a. s. *Prohibentium* constituunt 365. quot dies sunt in anno solari. adeoque si unumquodq; membrum præceptum suum servet quotidie, & homo quotidie ab uno Præcepto negativo abstineat, tota Lex, in tot præcepta distributa, anni spatio accurate servata fuerit. Quidam tamen illorum Sapientes prioribus 613. Præceptis alia septem addiderunt, & Præcepta in
univer-

universum 620. numerarunt, 1. quia tot sint literæ in Decalogo Hebraico, si duæ ultimæ voces, continentes septem literas, addantur. 2. quia literæ vocabuli כִּתְרֵי *corona*, 620. secundum literarum Hebr. numeros expriment. ac proinde qui præcepta omnia servet, capiti Creatoris coronam imponat, & Deus vicissim coronet illum qui præcepta Dei servet. Quorum omnium accuratationem expendunt Buxtorff. Synag. Jud. C. 1. & Leusden. Prolegom. in Catal. 613. Præcept. Jud.

VIII. *Materia in qua, sunt Tabulæ lapideæ scriptæ digito Dei. Exod. 31, 18. c. 32, 15. quæ dicuntur לְחֹתֹת Tabulæ, secundum Abarban. fol. 209. quia similes fuerunt tabulæ cui aliquid inscribitur. עֲרוֹת לְחֹתֹת Tabulæ Testimonii, juxta eundem, quia testantur legem in monte Sinai datam Israelitis, ac decem præcepta, prout scripta fuerunt super tabulas, audita. vel, ut habet fol. 211. col. 3. quia id quod ipsis inscriptum est, de eo testatur quod Israelitæ audiverunt. vel, ut vult Bechai fol. 117. col. 1. quia in testimonium fuerunt Israelitis, Majestatem Divinam (Schekinah) habitare in medio ipsorum, ad instar alicujus suis manibus sigillum Regis portantis. quam rationem probat Auctor Zennorennæ fol. 82. col. 2. vel, ut alii, quia Deus his tabulis testatum fecerit, quicquid ab Israelitis in posterum fieri vellet. unde Deut. 9, 9. 10. 11. לְחֹתֹת הַבְּרִית tabulæ fæderis vocantur. Quod Duæ fuerint, rationem hanc dat Bechai fol. 119. col. 3. quia testimonium locum non habeat, nisi saltem inter duos, v. gr. Sponsum, (Deum) & Sponsam (Israelitas) datumque sit in conspectu Cæli & Terræ, Deut. 31. v. 28. ac duorum quasi Paranymporum nempe Mosis & Aaronis it. duorum Mundorum, Præsentis sc. & Futuri. Sapphirinas fuisse plurimi Judæi statuunt, nominatim Bechai fol. 117. col. 1. sumptos de throno gloriæ, ex Ezech. 1, 26.*

1, 26. talesque fuisse non solum priores, sed & posteriores opinantur, hinc nugantur quidam, Mosen ex scobe tabularum divitem factum; quod merito refellit Aben Ezra; qui tamen supponit, tabularum *longitudinem & latitudinem* exæquasle *sesqui cubitum; crassitiem*, vero fuisse *cubiti* mensuram: cujus excessum superat Bechai fol. 117. dum definit, tabulas has quadratas fuisse sex palmos longas, totidemque latas & crassas, quod incertum esse vel inde patet, quia neque manibus commode teneri ac portari, neque projectæ tam facile frangi potuissent. ut fatetur Abarbanel fol. 209. & 211. *Muhammedani* quidam volunt fuisse *Smaragdinas*, quidam *Ligneas*.

IX. Tabulis his adumbratur *Cor nostrum*, s. *Anima nostra*, ut 2 Cor. 3, 2. 3. *Epistola nostra vos estis, scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* quæ facultatibus duabus instructa est, quarum altera, scil. *Intellectu*, sensum Legis percipere; altera, n.p. *Voluntate*, præcepta Dei exequi possumus ac debemus.

X. *Divisio* itaque *Prior* legis, ab ipso Deo facta, in *Tabulas duas*, merito apud omnes controversia caret, ut apparet (1) ex facto Dei, qui Legem non tantum viva voce promulgavit; sed & *Duabus Tabulis* inscripsit, quas *dedit Mose scriptas digito suo*, Exod. 31, 18. c. 34, 29. quæque proinde Exod. 32, 15. 16. *Opus Dei* dicuntur; ab Apostolo etiam *πλάκες τῆς διαθήκης* vocatæ, Heb. 9, 4. (2) ex *Objecto* Tabulæ utriusque, officiis *DEO & Proximo* præstandis. (3) ex *Epitome Decalogi* Matth. 22, 37. 39. *Altera* quoque *Divisio*, qua Lex in *עשרת הדברות* *δέκα λόγος* (unde *Decalogus*) s. *Decem præcepta* distribuitur in quæstionem non venit. per Devt. 4. 13. Ex. 34, 28. c. 10, 4.

XI. Controvertitur vero, quæ & quot Præcepta singulis Tabulis tribui debeant? *Prima Distributio est Samaritanorum, qui Decalogi initium faciunt a verbis Exod. 20, 3. & Deut. 5, 7. Non erit tibi &c. usque ad: custodientes Præcepta mea. & ne quid numero denario deficit, verba seqq. ultimum Præceptum constituunt, ex Deut. 27, 4. 5. 6. Quando transferitis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in Monte Hebal (Samaritani substituunt Gerizim) & levigabis eos calce &c. usq; ad: epulaberis coram Domino Deo tuo. quibus addunt de Monte Gerizim ex Deut. 11, 29. 30. Mons iste est trans Jordanem, post viam occasus solis in terra Cananæi, qui habitat in planitie, e regione Gilgal, ad quercetum Moreh (vel Mamreh) e regione Sichem.*

XII. *Secunda est Judæorum, qui singulis Tabulis quinque præcepta tribuunt. quod v. ad præcepta attinet, ex verbis Proœmialibus Ex. 20, 2. & Deut. 5, 6. Ego sum DN. Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, de domo servitutis, primum; ex verbis a. seqq. Non habebis Deos alienos coram me; Non facies tibi sculptile &c. usq; ad verba: & custodiunt præcepta mea; secundum Præceptum faciunt. In reliquis Præceptis cum Reformatis consentiunt, ac Præceptum de Concupiscentia pro uno habent. Quorum sententiam non improbant Irenæus l. 2. c. 32. Julianus Imperator ap. Cyrill. l. 5. cont. Julian. & ex Reformatis Pet. Martyr L. C. XIV. §. 3. p. m. 684. 685. Cui obstat, quod præceptū omne actū aliquē ponat, quem vel mandet vel vetet fieri; Verba autem Ex. 20, 2. & Deut. 5, 6. continent orationem tantum enunciativam, neq; mentionem faciunt, ad quid homo obligetur. Obstat it. quod præcepta duo sequentia divellunt.*

XIII. *Tertia est Rom. Catholicorum & Lutherano- rum, qui priori tabulæ tria, posteriori septem præcepta*

pta

pta adsignant, ac verba Exod. 20, 3. 4. Deut. 5, 7. 8. *Non habebis Deos alienos &c. &: Non facies tibi sculptile &c.* conjungunt, ex iisque conflatis primum præceptum faciunt; ut vero numerum denarium compleant, verba versus 16. & 17. de concupiscentia divellunt, ex iisq; duo præcepta faciunt.

XIX. *Quarta est Reformatorum*, qui priori Tabulæ quatuor; posteriori sex præcepta vindicant, & pro primo præcepto habent verba: *Non habebis Deos alienos coram me*; pro secundo hæc: *Non facies tibi sculptile &c.* usq; ad verba: *Et custodiunt præcepta mea.* Verba autem versu 16. & 17. de non Concupiscendo conjungunt, ex iisque decimum præceptum constituunt.

XV. Quamvis vero potius de servandis quam de numerandis Dei Præceptis solliciti esse debeamus, nulli tamen dubitamus, quin IVta hæc Divisio solidioribus rationibus nitatur: *Prima ratio principalis petitur a Præcepto I. & II. do: Nam quæ Præcepta sensu & sententiis differunt & quorum primum vetat alios Deos habere: secundum autem prohibet sculptilia & imagines facere, ea non unum & idem sunt, sed diversa: quod patet (1) quia primum docet, solum Deum esse colendum; secundum vero, modum, quo Deus colendus sit; non per sculptilia sc. & Imagines; sed sine eis. (2) quia præceptum de Cultu externo & interno sensu & sententiis differunt: primum agit de Idololatria interna; secundum de Idololatria externa. (3.) quia hæc præcepta obedientia separari possunt. Potest enim quis peregrinum Deum habere, nec tamen illum imaginibus colere, ut ex Gentilibus quibusdam, in primis Germanis Veteribus, patet, qui, non cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cælestium arbitrabantur.* ap. Tacit. de Morib.

German. c. 9. Et vicistim potest quis verum Deum, sed tamen sculptilibus & Imaginibus colere, quod Protestantes Pontificiis objicere solent, quod εἰκονοπεία sua peccent. *Exempla* hujus rei etiam in Scriptura prostant, Exod. 32, 4. ubi Judæi, per vitulum, verum Deum colebant: nam illos verum Deum plane rejecisse verisimile non est. it. exemplum Michæ Jud. 17, 18. Jeroboami. 1 Reg. 12, 28. seq. cujus Idololatria distinguitur ab Achabi Idololatria, qui Baalem colebat c. 16, 31. 32. Unde (4) Moses hæc Præcepta Versibus & periodis distinxit.

XVI. *Ista ratio Principalis* sumitur a Præcepto de non concupiscendo, Exod. 20, 16. 17. & Deut. 5, 20. 21. Hoc Præceptum esse tantum unum elucet, 1. quia Ex. 20, 17. Concupiscentia unico verbo חַמַּד ex- primitur; Deut. 5, 18. verbo huic quidem verbum חַמַּד jungitur sed synonymum priori atque idem significans. 2. quia Deut. 5, 20. Concupiscentia Uxoris præmittitur Concupiscentiæ Domus proximi, manifesto indicio, Præceptum hoc unum esse, & parum referre, quodnam objectum priori vel posteriori loco ponatur. 3. quia, si pro numero objectorum non appetendorum præcepta multiplicanda essent, tot præcepta numeranda essent, quot numerantur diversa objecta: quod argumentum urget *Christoph. Donaver*, Minister Ratisb. Luth. in Moderations Motiven, warum er die Reformirten nicht verdammen könne. 4. quia Paulus Rom. 7, 8. & c. 13, 9. in recitatione Præceptorum, Præceptum de non concupiscendo revocat ad unum.

XVII. *Ista ratio principalis* est desumpta à *Consensu Veterum*, *Philonis* Judæi lib. de Decalogo p. m. 766. 67. &c. *Paraphrastæ Chaldæi* Jonathanis Uzielis fil. in Exod.

20. Jo-

20. *Josephi Antiqu. Jud. lib. 3. c. 5. Judæorum; (exiguo tamen discrimine) Patrum: Athanasii, Gregorii Nazianz. Scriptoris quæst. ex Vet. Test. Hieronymi & Ambrosii, Chrysostomi, Autoris in quæst. V. & N. T. Sulpitii Severi, Procopii Gazæi, Zonaræ; quorum verba adducit Vossius Thes. Theol. & Histor. Disp. 7. Citatis Patribus Clem. Alexandrinus non opponendus, sed jungendus videtur, nam licet Strom. l. 6. p. m. 682. scribat, primum Præceptum ostendere, unum solum Deum esse omnipotentem: Secundum, non oportere assumere nomen Domini in vanum. Tertium, propter mundum a Deo factum, sanctificandum esse Sabbathum; tamen p. 687. præceptum de honore patris & matris, πέμπτον, quintum; & p. 688. præceptum de cupiditatibus omnibus, δέκατον, decimum, vocat. unde Vossius c. l. th. 10. merito suspicatur, locum hunc Clementis, in prioribus numeris, corruptum esse.*

XVIII. *Augustinus citra controversiam tria Præcepta Tabulæ priori; septem autem posteriori adsignavit. locis a Vosio indicatis th. 7. & H. Alting. Probl. Nov. Loc. X. qu. 6. §. 4. Tametsi vero Augustinus lib. 3. contra duas Pelagianor. Epist. c. 4. Patrum, præcedenti Thesi citatorum, numerandi rationem sequi videatur, scribatq;: Quis dicat, non debere observare Christianos, ut uni Deo Religionis obsequio serviatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrentur, ne uxor, ne omnino res ulla concupiscatur aliena, istudque opus post Quæstiones in Exodum scripserit, & præterea Scripta contra Pelagianos majori diligentia elaborarit; Priorem ejus sententiam tamen secuti sunt, Prosper Aquit. Bernhardus, Beda, Lombardus, indeque Scholastici omnes: it. Lutherus cum suis.*

XIX. Sententiæ nostræ non *obstat* Distinctio concupiscentiæ in *Originalem & Actualem*. Nam utraq; uno Præcepto, de non concupiscendo, vetari potuit & potest, cum actualis sit tantum effectus & fructus Originalis. hinc 2. Judæi quamcunque Concupiscentiam hic comprehendunt. & revera 3. objecta illa vetita alio alioque respectu vel ad originalem vel ad actualem Concupiscentiam referri possunt.

XX. Neq; Argumentum *Sam. Bohlii a Duplici Accentuatione* hic petitum atque hoc modo prolatum: *ubi non continetur Silluk purum, ibi Præceptum nondum est absolutum.* A. Exod. 20, 3. in voce לֹא non continetur Silluk purum. E. Præceptum ibi nondum est finitum; distributionem nostram convellit: Nam 1. illi, qui negant Puncta esse literis coæva, hoc Argumentum neque urgebunt neque admittent. 2. non desunt qui volunt usum Accentuum esse potius Musicum, quam hermenevticum. unde 3. nec Judæi nec Pontificii ex hoc fundamento argumentantur. præterea 4. ratio hæc distinguendorum Præceptorum, deficit in Præcepto de homicidio, v. 13. de adulterio & de Furto, ib. in quibus Silluk purum non apparet: nam conspicitur, in illo, *Merca & Silluk*; in isto *Achnach & Silluk*; in hoc, *Sakephkaton & Silluk*. Si itaque *Major Propositio* Syllogismi Bohliani, ut vera, admittatur, *tria illa Præcepta* itidem in *unum* erunt contrahenda. Porro & Præceptum de *Concupiscentia*, stante hypothese Bohliana, est conjungendum; quia v. 17. sub nomine לֹא non Silluk sed *Achnach* occurrit; admissa itaque Propositione Bohliana Præceptum de *Concupiscentia* erit conjungendum, non divellendum: quo pacto Auctor hujus Syllogismi propria vineta cædit. Tandem secundum hanc hypothesein v. 8. 9. 10. in Præcepto de Sabba-

Sabba-

Sabbatho, propter repetitionem Silluk, plura uno Præcepta essent constituenda. quod ipse Bohlius fatetur Part. 2. p. 48. ubi ait: *Recte dicitur, Silluk non esse argumentum faciendi novi Præcepti: plura n. etiam in tertio Præcepto essent fingenda, cum Silluk repetatur.*

XXI. Omnium minime ex litera D Deut. 5, 18. addita Præceptum novum fabricandum est; quod tamen volunt *Dietericus Inst. Catech. Fabricius Partit. Codic. Hebr. c. 8, 9. Scheræus Itinerar. in Psalterium n. 337.* nam hanc rationem partiendi Præcepta non solum infringunt quotquot puncta vocalia literis Hebr. coævâ esse negant, interque illos, omnes Doctores Scholæ Romanæ. nec tantum *Buxtorff. Abbr. p. 141. Hotting. Thes. Philol. l. 1. c. 2. Sect. 5. Leusden Philol. Hebr. Diff. 4. §. 3.* Sed & *Schindler. in Abbr. Lexico Pentagl. adjunctis, lit. D §. 4. & Schickard. de Jure Reg. c. 2. Theor. 5, §. 8. it. Carpzov. ib. qui, cum Judæis, plane diversum literæ D finem tribuunt, & à curiosis quibusdam Judæorum Scribis, ex superstitione, ne literæ hiarent, tantum additam volunt: quare & à Munstero & Aria Montano, ut figmentum Scribarum Judaicorū, illæso textu, omisa fuit. ne dicamus, Exod. 20, 17. literam D , etiam in illo exemplari cui Masorethar. notæ additæ sunt, deesse; & ipsos Judæos hic unum tantum agnoscere Præceptum. Conf. Cl. Job. Ad. Osiandri Typum Legis Moral. Th. 205. 206.* Nos repetimus antea dicta, sc. hac de re non esse odiose contendendum, sed cum Liturgia Anglic. potius suspirandum: *Domine, miserere nostri, & habesce omnes leges tuas (utriusque tabulæ) cordibus nostris inscribas!*

XXII. *Objectum personale* sunt Deus, nos ipsi, & proximus; *reale* est omne faciendum & fugiendum.

XXIII.

XXIII. *Forma est vis directiva, obligativa & coactiva, circa facienda & fugienda moralia: in V. T. cum maledictione Deut. 27, 26. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit. Gal. 3, 10. Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: scriptum est enim: Maledictus qui non permanse- rit &c. quam obligationem, dempta Maledictione & rigore, in N. T. non sublatam esse Christy docet Matt. 5, 17. Nolite putare, quod venerim solvere legem; non veni solvere, sed adimplere. v. 5, 19. Qui solverit unum de Mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum. adde Jac. 2, 10.*

XXIV. *Obligat Lex moralis hominem ad obedientiam perfectam, Perfectione non tantum partium Matth. 22, 37. Diliges Dominum Deum tuum &c. & proximum tuum. Jac. 2, 10. Qui totam legem servat, offendit a. in uno, factus est omnium reus: qui n. dixit, non mœcha- beris: &c. add. Rom. 13, 9. Sed & graduum, Deut. 6, 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. מכל מנך ex omni valde tuo s. omnibus viribus tuis. Matth. 22, 37. seq. & perseverantiæ, Deut. 27, 36 & Gal. 3, 10. Maledictus qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt. adeo- que secundum tres temporis differentias, præteriti, ut nihil mali egerit; præsentis, ut jam nihil mali agat; futu- ri, ut in posterum non peccet. Quia vero hoc ab ho- mine lapsa præstari non potest, inde constat, hominem per legem à peccatis absolvi & salvari non posse. Rom. 3, 20. & Gal. 2, 16. Ex operibus legis non justifi- cabitur omnis caro coram illo. Gal. 3, 21. Si data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia.*

XXV. *Finis, respectu Dei, est gloria Sapientiæ, sanctitatis & justitiæ divinæ; respectu hominis vero est vita*

vita

vita æterna, sub conditione præstitæ perfectæ obedientiæ promissa Lev. 18, 5. Ez. 20, 11. & Rom. 10, 5. *Homo faciens præcepta, vivet in eis.* Deut. 30, 15. 19. *Propono in conspectu tuo vitam & bonum. Elige ergo vitam, ut tu vivas & semen tuum.* Matth. 19, 17. Luc. 10, 28. Unde Paulus Rom. 7, 10. vocat mandatū ad vitā. Finis per accidens est mors, Rom. 7, 10. *Inventum est mandatum, quod erat ad vitā, esse ad mortem.*

XXVI. *Ufus Legis moralis est vel Absolutus vel Respectivus. Absolutus, qui locum habet in omni hominis statu, est, quod sit Regula vitæ perfecta faciendorum & vitandorum, tum erga Deum, tum erga nos ipsos & proximum. Respectivus, qui pro diversitate statuum hominis diversus est. In statu innocentiae s. instituto fuit mediū consequendæ vitæ ac felicitatis perennis. In statu peccati s. destituto, ratione convictionis, est 1. instar speculi, quod nobis peccata nostra ut maculas ostendit: ex lege n. agnitio peccati, Rom. 7, 7. & docet ubi & quam graviter peccaverimus. 2. Instar freni ratione coercionis, quo peccatores non renati continentur & retrahuntur, ne pro lubitu in peccata ruant, & sine fine evagentur; 3. Instar flagri, ratione condemnationis, quat. homines accusat, convincit, terret, torquet & damnat, ut peccatores miseriæ suæ sensu ducti, & impotentiae suæ ex miserrimo illo statu eluctandi sibi conficii, ex se ipsis egrediantur, medicum inquirent, & requiem animarum inveniant. In statu Regenerationis Lex est 4. instar Regulæ & Normæ, ad quam vita nostra dirigenda est. Matth. 5, 17. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* it. c. 7, 21. 24. seqq. Gal. 2, 17. *Si quærentes justificari per Christum, inventi sumus & ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est?* Absit. add. Matth. 19, 17. Luc. 10, 28. Luc. 17, 10. Rom. 8, 12. c. 13, 8. seq. c. 6, 1. 2. Jac. 2, 10 11.*

XXVII. Alii primum Legis usum in statu peccati di-

D

ti di-

ti dicunt esse *Politicum*, qui consistat in usu disciplinae, ad feros homines coercendos 1 Tim. 1, 9. Secundum, *Elenchticum*, qui consistat in peccati redargutione, Rom. 7, 7. Tertium, *Didacticum*, quo fit regula & norma, ad quam Renati, per fidem justificati, totam suam vitam, Deoque debitum cultum, instituere debent. Quartum *Pædagogicum*, quo Lex ostenso peccato, & virium naturalium ἀδυναμία nos oblique & indirecte ad Medicum quærendum impellat, Gal. 3, 24.

XXVIII. Lex enim duplicem habet ἕξιν, *Legalem* & *Evangelicam*; ita ut prioris respectu pertineat ad *Fædus Operum*. Nam 1. cum Legislationis illius modus fuerit terrificus, Exod. 19, 16. c. 20, 18. 19. cuilibet obvium est, hoc non referre genium Fœderis gratiæ, quod Deum nobis placatum exhibet, & peccatores invitavit avitate promissionum. 2. quia Lex, Decalogo contenta, est *juris naturalis*, in Dei justitia & sanctitate fundata; Fædus gratiæ vero est *juris positivi ac liberi* fundatum in Dei εὐδοκία ac misericordia. 3. quia Fædus gratiæ sponforem exhibet, & obedientiam non solum exigit; sed & Gratiam dat ad Legem præstandam; Lex vero officium i. e. obedientiam perfectam præscribit & facientibus tantum vitam æternam promittit. Exod. 20, 6. Lev. 18, 5. Ezech. 20, 11. 21. Gal 3, 12. Luc. 10, 28. 4. quia Lex peccatorem convincit, terret, damnat, Rom. 3, 19. c. 7, 10. hinc 5. non tantum *Lex operum Legi fidei & promissioni* Gratia opponitur, Rom. 3, 27. Gal. 3, 17. 18 & Lex, gratia contradistinguitur Joh. 1, 17. Sed & *lex litera occidens & ministerium mortis & condemnationis* 2 Cor. 3, 6. 7. & *chirographum nobis contrarium* Col. 3, 14. vocatur. Ex quibus liquet, Decalogum hætenus pertinere ad fædus operum; quæ ἕξις vim majorem accepit post populi Israelitici apostasiam & peccatum circa vitulum aureum, Exod. 32.

XXIX. Respectu vero posterioris i. e. *ἡθελος* Evangelicæ Lex complectitur *Fædus Gratia*, 1. quia Exod. 20, 2. in ipsa legis præfatione DEUS profitetur, se populi sui DEUM esse: qua formula antea usus erat ad Abrahamum, Gen. 15, 1. *Ego sum Deus tuus, protector tuus, & merces tua magna nimis*; ex qua appellatione: *Ego sum Deus tuus*; Christus resuscitationem a mortuis probat, Matth. 22, 32. 2. quia præcepto secundo Exod. 20, 6. *misericordiam* promittit in *millesimam generationem* diligentibus se & custodientibus præcepta. 3. quia præcepto quinto *promissio* annectitur de *vita longæva* in Canaan. 4. quia Exod. 24, 8. 9. 10. *aspersio sanguinis* victimarum & accessus seniorum ad Deum mentio fit. quem respectum 5. confirmant *Sacrificia* ad expianda hominum peccata instituta.

XXX. Sancita fuit Lex Mosaica *Premio Vitæ & comminatione Mortis*, Exod. 20, *Honora Parentes, ut sis longævus in terra, quam Dn. Deus tuus dabit tibi.* Lev. 18, 5. *Custodite leges meas, quæ faciens homo vivet in eis.* Ez. 20, 11. Gal. 3, 12. Rom. 10, 5. Deut. 30, 15. *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo Vitam & bonum, & e contrario Mortem & malum.* v. 19. *Testes invoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem; Elige vero vitam, ut tu vivas & semen tuum.* Disputatur v. an hoc *promisso* contineatur *Vita æterna*; & *comminatione*, *mors æterna?*

XXXI. Pelagiani, ut *Vetus Test.* adeoque *Legem naturæ & Mosaicam*, *Gratiæ Novi Test.* omnino æquarent, neque *Novo Test.* ullam prærogativam concederent, hincque in *terre* possent, multos ante adventum Christi, per *Legem*, sine *gratia Christi*, salvatos fuisse, adseruerunt simpliciter: *Regnum cælorum*

etiam in V. T. promissum esse; teste Hieronymo l. i. Dial. contra Pelag. ubi Pelagium ita alloquitur: *Addis præterea Regnum cælorum etiam in T. V. repromitti, ponisque testimonia de Apocryphis; cum perspicuum sit, regnum cælorum primum in Evangelio prædicari per Joh. Bapt. & Dn. Salvatorem & Apostolos. & Augustino de Gestis Palæstinis c. 5. it. Prospero, Carmine de Ingratis:*

-- -- -- -- Connectit & illud

*Idem Auctor, quod Lex ita sanctos miserit olim
Cælorum in regnum sicut nunc gratia mittit.*

Vid. Vosf. Hist. Pel. l. 3. Part. 2. th. 10. Ge. Bulli Exam. Censur. s. Respons. ad Animadv. 20. §. 2, 5. seqq.

XXXII. E contrario ex Judæis, Uriel Acosta quem Sadducæis jungunt, voluit, Legem Mosis non proponere obedientibus vel inobedientibus nisi vitam vel mortem temporalem; qui tamen adversarium nactus Judæum Sam. de Sylva non solum libello, de *Immortalitate Animæ*, refutatus; sed & decreto Synagogæ Amstelodam. flagris percussus est, ac desperabundus miserum vitæ finem habuit globo à se ipso trajectus. Sociniani & Mennonitæ negant in *Lege Mosis* ullum apertum Vitæ æternæ extare promissum; sed Deum tam excellens promissum distulisse in adventum Christi. Quibus adsentiri visi sunt Remonstrantes. iisque invitos jungit Calixtinos, quos vocat, Calovius Harm. Calixtin. Hær. Sect. 3. C. 9. §. 10. Cui respondit Calixtus F. in *Calovio e vado deturb.* qu. 8.

§. XXXIII. Ipse quoque Grotius, de V. R. Chr. l. 2. §. 9. & l. 5. §. 6. docet, *præmia lege Mosis aperte proposita ad hanc vitam mortalem spectasse omnia.* it *Voto pro Pace*, Art. 21. qui tamen non negat, perspicaciores in populo Judaico sive vi promissionum generalium, s. temporalium bonorum levæ æstimatione, s. bonitatis divinæ intuitu, s. animæ suæ consideratione, s. Patriarcharum traditione s. Prophetarum orali

orali

orali explicatione s. aliis rationibus adductos credidisse atque expectasse præter terrenam etiam aliam vitam, appetente in primis, magis magisque, Oeconomia N. T. quam in rem memorabilia sunt Grotii verba, *Discuss. p. 144. Cum jam appeteret tempus melioris fœderis (i. e. adventus Christi) voluit Deus per Prophetas & Sapientes venturo Soli auroram quandam præmittere præviam; itaque reperta in exilio Babylonico, & post inde reditum, nomina Regni cœlestis, Paradisi, Gehennæ, dicti vivere Deo ii, qui pie essent mortui.* Cujus hypothesin benigne explicarunt atque ita explicatam probarunt, ex *Anglis, Ge. Bullus, Harmon. Apost. Diss. 2. c. 10. it. Exam. Censur. in Animadv. 21. & Joh. Spencerus de Legib. Hebr. Ritual. lib. 1. c. 3. Similem Romanæ Ecclesiæ mentem exprimit Bellarm. l. 4. de Justif. c. 3. Lex & Prophetæ pollicentur expresse bona temporalia, figurate a. Regnum cœlorum; Christus & Apostoli manifeste Regnum Cœlorum & vitam æternam pollicentur. Lex & Prophetæ comminantur temporalia mala; Christus & Apostoli mortem sempiternam. & Becan. Theol. Schol. Part. 2. Tr. 3. C. 5. qu. 3. n. 6.*

XXXIV. Nos in antecessum notandum putamus, Legem sub V. T. & quidem in Monte Sinai latam esse; de quo Paulus, *Gal. 4, 22. 23. 24. Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera per Promissionem. Hæc sunt duo Testamenta: Unum in monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar. v. 26. Illa a. quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est Mater nostra. hinc præmissa Distinctione inter Pactum Sinaiticum & V. Test. item *νόμος* Legalem & Evangelicam; observamus, Legem bifariam spectari posse, literaliter s. carnaliter, quat. instrumentum fuit carnali populo ad bonum temporale ordinatum; & mystice ac spiritualiter; quat. Spiritu DEI præditis, sub typo ac pignore rerum carnalium, cœle-*

bia promittebat. quibus observatis dicimus, *Hereditatem typicam* hic *promissam* fuisse *Terram Canaan*, feliciter ac diu possidendam; quæ promissa fuerat Abrahamo Gen. 12, 1. c. 15, 7. c. 17, 8. unde in Pacti Sinaitici tabulis Exod. 20, 12. legitur: *sis longævus in terra, quam Dn. Deus tuus dabit tibi*: ac Deus Ezech. 20, 6. ait: *In die illa levavi manum meam pro eis ut educerem eos de terra Ægypti, in terram, quam provideram eis, fluentem lacte & melle, quæ est egregia inter omnes terras.* & Hof. 9, 3. *Terra illa Terra Domini* vocatur. De Novo Test. vero dicitur Heb. 8, 6. quod habeat *κρείωνας ἐπαγγελίας*, *meliores Promissiones.* & de Christo, contradistincte ad Mosen, Joh. 1, 4. *In ipso vita erat.* ac 2. Tim. 2, 10. quod *destruxerit mortem, illuminaverit a. vitam & incorruptionem per Evangelium.*

XXXV. Quia v. Terra Canaan *Typus* & pignus fuit rei tam caræ, Vitæ n. p. cœlestis, inde fideles V. T. magno amore eam complectebantur & mortem tantopere reformidabant, quia per mortem typo & pignore vitæ cœlestis privabantur. Cujusmodi exempla fuerunt, *David* Ps. 6, 6. Ps. 30, 10. & 115, 17. 18. & *Ezechias* Jes. 38, 2. 10. 11. eoque respexit Apostolus Heb. 2, 15. inquit: *Judæos timore mortis per totam vitam obnoxios fuisse servituti.*

XXXVI. *Spiritualem ac Mysticam* hanc Lev. 18, 5. & Deut. 30, 15. 19. *Promissionem* ostendit *Christus* Matth. 19, 18. 19. Luc. 10, 25. 28. ubi de *Vita æterna* quærebatur & respondebatur. & Joh. 5, 39. *Putatis in Scriptura Vita æternam habere.* quam Matth. 22, 29. confirmat de *Resurrectione Mortuorum*: *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* & Luc. 16, 31. *Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.* quod promissum comprobatur Apostolus Act. 23, 6. *Viri fra-*

fra-

fratres, ego Phariseus, de spe & Resurrectione mortuorum iudicor. hincque Act. 26, 6. 7. infert: Et nunc ob spem Promissionis Patribus nostris factæ a Deo, sto iudicio subjectus in quam 12. tribus nostræ, nocte ac die deservientes, sperant devenire. & Hebr. II, 10. dicitur Abraham expectasse civitatem fundamenta habentem. & v. 15. significasse fideles, se patriam inquirere; meliorem appetere, quam ex qua exierant. v. 26. Moses respexisse remunerationem. v. 35. alii fideles, sustinuisse ærumnas, exilia, mortem, ut meliorem invenirent resurrectionem. tandem Judæorum respectu, Eph. 2, 12. Gentiles dicuntur fuisse alieni a pactis promissionis, spem non habentes. Consentunt Judæor. Magistri, Maimon More Neboch. P. 3. c. 27. Bechai in Gen. P. 3. R. Albo in Ikkar. C. 25. lib. Cos. Ser. I. p. 9. Menasse Ben Israel vero de Resurr. mort. l. 1. c. 13. reddit rationem, quare lex non aperte meminerit præmii vel pœnæ post hanc vitam.

XXXVII. Par ratio est *comminationis*, quæ vel generalis, Deut. 27, 26. c. 30, 15. 19. vel specialis in ipso Decalogo contenta Exod. 20, 5. 7. Comminatio vero ejectionis e terra Canaan, ut typo, de qua Lev. 20. & Ps. 95, 11. respondet comminationi exclusionis e cælo, ut antitypo Heb. 3, 7, 18, 19. c. 4, 3, 6, 9.

XXXVIII. *Effectus* Legis, ratione *αἰσῶς* legalis, est *Spiritus Servitutis*, & genius ac timor servilis, quo homines Legi subjecti, literæque Legis inhærentes, ex consideratione severitatis ac rigidæ Justitiæ divinæ, terroris, minarum & maledictionis Legis, spe quidem boni, metu tamen pœnæ s. mortis impendentis, instar servorum & mercenariorum, Deo obediverunt. Cujus Spiritus mentionem facit Paulus Rom. 8, 15. ubi *Spiritum servitutis ad timorem* appellat, & Gal. 4, 24. *Testamentum Sinaiticum generare in servitutem*, ait. &
2 Cor. 3,

2 Cor. 3, 6, 7. Legem, *literam occidentem*, & *ministerium mortis*, vocat. & Heb. 2, 15. fideles V. T. *timore mortis per totam vitam obnoxii servituti* fuisse dicuntur. Nam qualis tunc erat *fœderatorum Status*, talis erat quoque *Charismatum*, quibus donabantur, *genius & modus*. Status erat quidem *heredum*, sed tamen *infantis* & à *servili* parum distans, Gal. 4, 1. quocirca & *Spiritus*, quo instruebantur, respectu reliquorum mundi populorum, *Spiritus adoptionis* quidem dici poterat; respectu vero fidelum N. T. *Spiritus Servitutis*, i. e. *mancipans*, ac *tremefaciens* recte appellabatur.

XXXIX. Ratione v. *ἡρώσεως* Evangelicæ & Status N. T. *Effectus* Legis est, ex *Spiritu Adoptionis* profectus *Timor filialis*, quo fideles ex *consideratione Bonitatis, Amoris & Sanctitatis divinæ*, Deum ut patrem clementem offendere, indignationem ac *pœnam* ejus provocare, adeoq; quidquam *præceptis* ejus contrarium admittere, verentur, ne à *facie Patris* tam benigni repellantur. Devt. 10, 12. *Et nunc, Israhel, quid DN. Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dn. Deum tuum?* &c. c. 6, 13. *Dn. Deum tuum timebis, illique soli servies.* Mal. 1, 6. Ps. 130, 4. & in N. T. Heb. 12, 9. *Patres carnis nostræ eruditores habuimus & reverebamur eos; annon multo magis obtemperabimus Patri Spirituum & vivemus?* c. 4, 1. *Timeamus, ne relicta promissione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse.* Matth. 10, 28. 1 Pet. 1, 17. &c. *Ut ille illiberalis & filiis indignus: ita hic liberalis, ingenuus & filiis dignissimus est.*

XL. *Opposita*, doctrinæ sanæ de Lege, sunt dogmata I. *Judæorum*, qui spreto Jesu Naz. ut Messia, per *Legem*, ut *Formulam Fœderis* Justificationem & *Salutem* expectant. unde Is. Orobius in *Collat. cum Limborch.* de suo Israhel inquit p. 70. *Nulla Messia, nulla Redemptio-*

Redemptione indiget, nec aliquando opus habuit ad salutem æt. consequendam; Sufficit Lex divina; quam ut unicum medium ad salutem Dominus Israeli præcepit. 2. Antinomorum Veterum & Recentiorum, qui docuerunt Legem sub N. T. in Ecclesiis prædicandam non esse, neque ea animos hominum, sub gratia viventium, ad Resipiscentiam præparandos, concutiendos, terrendos & emolliendos esse, contra Matth. 5, 17. 18. seqq. c. 7, 12. 21. c. 19, 17. seq. c. 22, 36. 37. 38. Luc. 10, 25. seqq. c. 16, 20. Rom. 3, 31. c. 7, 7. 12. 14. c. 13, 8. 9. Jac. 2, 10. 11. Gal. 3, 19. 21. Quorum tres Periodos constituit Hoornb. Summ. Controv. l. 10. p. 800. 802. 812. Conf. Schlüsselb. Catal. Hæret. l. 4. p. 34. seqq. 3. Eorum, qui Legem nunc Arbitrariam, magis quam necessariam Vitæ Regulam, & Gratiam omnimode liberam, nullique conditioni adstrictam volunt. Hoornb. c. 1. p. 816. 821. ac Turrett. Theol. Elencht. Loc. 12. qv. 3. §. 10, 15. & Loc. 17. q. 3. §. 7.

XLI. *Regulæ ad explicationem Decalogi facientes præcipuæ sunt: 1. Lex est spiritualis. Rom. 7, 14. ac proinde non tantum externam, sed & internam cordis obedientiam requirit. 2. Non malefacta tantum; sed male cogitata & male dicta prohibentur, etiamsi non semper erumpant in facta. hinc 3. Præceptum de vitanda Concupiscentia est interpres præcedentium plerorumque. 4. In præceptis affirmativis negativa, in negativis affirmativa continentur. 5. Ubi præcipiuntur Virtutes, ibi vetantur Vitia, ubi vetantur vitia, ibi præcipiuntur vitiis contrariæ virtutes. 6. In præceptis Synecdoche speciei & Meton. est agnoscenda, ita ut cum specie gen9 cum Causa intelligatur Effect9, cum Anteced. Consequens, cum Relato Correlatum, cum Affirmato Negatum. Ita cum adulterio prohibetur luxuria adulterii*

rū mater; cum castitate requisita præcipiuntur media, temperantia & abstinencia; parentes honorandi jubentur filios educare in timore Dei Eph. 6, 4. 7. Omnium præceptorum principium & finis est Amor: Rom. 13, 10. 1 Tim. 1, 5. 8. Obedientia primæ tabulæ derogat secundæ, & secunda cedit primæ, Luc. 14, 26. Matth. 12, 17. 9. *Affirmativa semper sed non ad semper*, v. c. orare, eleemosynam dare, *Negativa semper & ad semper* obligant: v. c. nunquam occidendum, nunquam mentiendum. 10. Generalia obligant omnes; quæ v. certum statum respiciunt, obligant eos qui sunt in eo statu, ut patrem, maritū, magistratū. 11. Moralia discernenda sunt a ceremonialibus atque hæc cedunt moralibus etiam in tabula secunda. &c.

XLII. *Adjuncta sunt vel Legislationis, vel Legis.* Adjunctum Legislationis I. est *Solennitas*, quæ colligitur 1. ex *Legislatore*, Deo, qui jus in ipsas etiam Conscientias habet, *potestque servare & perdere*, Jac. 4, 12. qui hac Legislatione se peculiari ratione Israelis Deum declarabat, eique Majestatem suam divinam demonstrabat. Exod. 20, 2. Deut. 4, 7. 8. c. 10, 14. 15. 2. ex præsentia *Schekinæ* divinæ & *Angeli Fæderis* s. *Faciei*, Mal 3, 1. Jes. 63, 9. qui Mose in rubo apparuit, & postea legem dedit, Exod. 23, 20. 21. Act. 7, 38. qui se hic ut Ducem ac Rectorem Populi gesit. 3. ex assistentia *Angelorum*, qui Legislatorem ac Ducem & Imperatorem suum, ut *stipatores & ministri* eungebant, & *testes* erant eorum, quæ gerebantur. 4. ex *modo* Legislationis Augusto, qui apparebat non solum ex positis circa Montem Cancellis, quibus populus arceretur, pœna mortis denunciata montem ascendere vel partem ejus tangere auro, Exod. 19, 13. Mose & Aarone mediis inter populum & Deum, v. 24. sed & ex signis, nube, procella, fulgurum & ignium micantium splendore ac tonitruum & ful-

& fulminum fragore, terræ motu & montis tremore, quibus prodigiis non modo populus, sed & ipse contremuit Moses, Heb. 12, 21. quæque tremendam Legislatoris Majestatem loquebantur & Israelitarum animis reverentiam ingenerare debebant. 5. ex *Mosis prerogativa* præ omnibus Prophetis & aliis Legislatoribus, quæ commendatur Num. 12, 3. 7. Deut. 34, 10. seq. quæque elucebat ex *fulgore* faciei ejus, qui tantus erat, ut Israelitæ eum intueri non valerent, sed *velum faciei imponere* necesse haberent, quando eos alloquebatur, Exod. 34, 30. seq. 2 Cor. 3, 13. Vid. *Menasse ben Israel* Conciliat. in Levit. q. 7. p. 192. fin. 193. Mosis Compellationem Populi Israelitici ut & totam Solennitatem graphice describit Josephus Antiqu. Jud. 1. 3. c. 4.

XLIII. II. Legislationis *Adjunctum* est *Locus*. n. p. *Mons Sinai*, cujus jugum vel cacumen alterum vocatur Horeb, intermedia valle, Deut. 5, 2. Exod. 3, 1. nonnunquam *Mons Dei*, dictus, 1 Reg. 19, 8. in deserto Arabiæ, loco sterili & inculto, procul a Canaan situs: monti *Sion*, culto & amœno loco, Ps. 48, 3. in medio Terræ promissæ sito ex adverso respondens. quo docemur, Legem in se consideratam, obedientiam quidem exigere, sed vires ad obediendum nec promittere nec conferre, cum e contrario Evangelium vires ad obediendum promittat & conferat, Jer. 31, 31. 32. 33. *Feriam domui Israel & Juda fœdus novum, non secundum Pactum, quod pepigi cum Patribus eor. quando eos eduxi ex Aegypto; Sed hoc erit pactum: Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eor. scribam eam.* c. 32, 39. 40. quare & 2 Cor. 3, 7. seq. Lex, ut *ministerium mortis ac damnationis*, Evangelio, ut *ministerio Spiritus & justitiæ* opponitur. quo spectat derivatio qua *Sinai* deducitur a סִינַי quod *Rubum & senticetum*: & Horeb a חֲרֵב quod *siccus*



siccitatem & desolationem significat. Ceterum cum *Lex Cerimonialis*, saltem quoad magnam sui partem, Mosis privatim in Tabernaculo data sit, Lev. 1, 1. quia solos Judæos obligabat, non sine mysterio *Lex Moralis* in Cacumine Montis, in conspectu totius mundi lata fuit, quia pertinet ad totum mundum, salvo tamen gradu, indicato Ps. 147.

XLIV. III. *Tempus Legis Promulgatæ* fuisse creditur quinquagesimus ab exitu Israelitarum ex Ægypto & Paschate celebrato dies, πεντηκοστή sc. ἡμέρα, tertio mense sacro, Ex. 19, 1. Anno mundi, secundum æram Hebr. 2508. ante natum Christum 1510. quem diem antecessit triduana præparatio. Ex. 19, 10. 11.

XLV. *Adjunctum Legis I.* est *Banitas*, asserenda, contra *Manichæos*, qui Legem & V. T. a *Principio Malo* derivarunt, & malam esse delirarunt: contra Deut. 4, 1. 6. c. 5, 1. 29. c. 6, 2. 6. 17. Matth. 5, c. 19, 10. Rom. 7, 12. 1 Tim. 1, 8. quod & ex præceptis ejus constat, quæ non nisi quod justum, sanctum atq; honestum est, mandant.

XLVI. *Adjunctum Legis II.* est *Perfectio*, quæ Legi Morali competit vel respectu *Legis Naturæ* vel respectu *Evangelii*. *Lex Naturæ*, in hoc rerum statu, tantum generaliter, confuse & imperfecte Officia erga Deum & proximum definit; *Lex Moralis v. speciatim*, distincte ac perfecte eadem officia præscribit: quare *Lex Moralis* in monte Sinai repetita fuit, (1) in confirmationem, ne notitiæ in animis hominum residuæ hominum malitia vel desidia diffluerent, vel incertæ tantum & arbitrariæ opiniones hominum censerentur; sed ut convinceremur, peccantes contra legem naturæ, contra Deum peccare, Rom. 1, 21. seq. c. 2, 14. 15. (2) in correctionem, quia notitiæ illæ inter gentes passim variè corruptæ erant ac depravatæ, unde nefariæ consuetudines in-

tro-

troductæ erant: quales recitantur Lev. 18, 3. deniq; (3) in *complementum*: non paucæ enim notitiæ post lapsum oblitteratæ erant atque amissæ; v. gr. quoad cultum spiritualem in prima; & quoad concupiscentiam, in secunda tabula; quæ fuerunt redintegrandæ, Eph. 5, 8. Joh. 1, 5. c. 4, 23. Rom. 7, 7.

XLVII. *Respectu Evangelii*, negant Soci-niani, & quidam alii, Legem esse perfectam, qui proinde volunt, Christum dedisse *novam Legem*, s. *addidisse nova* a prioribus diversa *præcepta & Consilia*; Verum cum David conceptis verbis affirmet, *Legem esse perfectam* Ps. 19, 8. 9. hincque Moses vetet, *Legi* quicquam *adde-re*, Deut. 4, 2. c. 12, 32. nec tantum Moses, Deut. 6, 5. sed & Christus Matth. 22, 37. 38. it. Paulus Rom. 13, 8. 9. 10. & Joh. 1 Ep. 4, 21. totam Legem in Præceptum Amoris, Dei & proximi, reducat; quo omnia Objecta, omnes partes & gradus Legis continentur: præterea Apostolus Rom. 7, 14. doceat, *Legem esse spiritualem*; indeque Lex *sensu*, non mere *literali & externo*; sed *spirituali, mystico*, atque *interno*, intelligenda veniat: quem sensum Christus Matth. 5, 21. seqq. luculentissime declaravit & aperuit; inde *Legis Moralis Perfectio* evidenter apparet.

XLVIII. Adjunctum Legis moralis III. est *Immutabilitas*, & IV. *Indispensabilitas*: Cum n. fundamentum ejus sit Natura Dei sapiens, justa & Sancta, atque ad hanc *Imaginem* expressa hominis Natura intellectua-lis, boni moralis capax: evidens est, Legem hanc im-mutabilem & Indispensabilem esse. Repete quæ diximus supra de *Lege Nat.* §. 29. 30. Sunt tamen de Legis dispensabilitate tres sententiæ, quarum *prima* vult, Legem moralem in omnibus præceptis esse di-spensabilem, utpote quæ fundetur in solo jure positi-vo, s. in voluntate Dei Dei libera. quæ sententia tri-

buitur ex Scholasticis *Durando*, *Occam* & *Almaino*; falso a. Petro ab Alliaco, ut ostendit Joh. Coccejus *Summ. Theol.* c. 24. §. 10. 11. Placuit ea quoq; ex Reformatis Joh. *Szydlovio*, *Vindic. Difficil. Qq. & Controv.* c. 8, 9. 10. *Secunda adserit*, tria quidem tabulæ primæ præcepta, esse indispensabilia, cetera vero dispensabilia. *Tertia* statuit, Legem moralem, ratione omnium præceptorum esse indispensabilem. Cui sententiæ & nos accedimus, observata tamen limitatione, cujus mentionem fecimus de *Leg. Nat.* §. 30. eamque probamus 1. quia præcepta moralia, homini præscripta fundantur in Natura Dei sancta, & iusta, atq; ad hanc expressam Imaginem Dei; ex quibus constat, dari dependentiam Creaturæ rat. a Deo in genere moris, atque in Deo naturaliter jus aliquod creaturam rationalem sibi subjiciendi, eique mandata talia & non alia, præscribendi. 2. si præcepta Legis moralis essent dispensabilia, & jure tantum positivo niterentur, liberum Deo fuisset, ea dare vel non dare, imo contrarium eis præcipere: quod absurdum esse nemo non videt. 3. nullum daretur discrimen inter *Legem moralem*, & *Positivam* quæ nititur Libera Dei voluntate. 4. Quia Lex Moralis, quæ est norma Imaginis Dei in homine, respondere debet Legi Dei æternæ archetypæ. At cum hæc sit immutabilis & indispensabilis, ergo etiam illa, quæ hujus est effigies. 5. Quia Lex Moralis quoad substantiam, eadem est cum Lege Naturæ. At cum hæc sit indispensabilis, sequitur & illam esse indispensabilem.

XLIX. Neque obstat, quod *Luc.* 14, 26. jubemur *odisse Parentes*: nam hic 1. nulla est dispensatio, sed tantum interpretatio vera hujus præcepti, quâ indicatur, subordinandam esse tabulam secundam ta-

dam ta-

dam tabulæ primæ, & honorem Dei, hominis honori longè præferendum esse. 2. τὸ μισεῖν hic non simpliciter significat odisse; sed minus amare. conf. Gen. 29, 31. Deut. 21, 15. Matth. 10, 37. 2 Sam. 19, 6. 7. *Nec Hof. 1, 2. seqq.* ubi Deus jubet Hoseam fornicariam ducere uxorem. Nam Deus non jubet *Hoseam* scortari sed *assumere uxorem scortum & natos scorti.* Quod quidam non vere, sed in *visione Proph.* tantum gestum; alii *parabolicè*; alii melius *literaliter & proprie* intelligendum esse volunt, ut Deus hoc exemplo ceu Chria reali Populi Israel. fornicationem spiritualem redargueret, & exemplo meretricis resipiscientis & in legitimum matrimonium assumptæ doceret, Israelitis pœnitentiam peccatorum agendam atq; hoc pacto veniam & receptionem in gratiam, expectandam esse, quo factò nihil contra Legem Lev. 21, 7. 24. quæ Sacerdotes proprie dictos respiciebat, neque quicquam contra morum honestatem fiebat. Neque permissione *Conjugii fratrum & sororum* inter Protoplastorum liberos, aliquid Legi Naturæ contrarium concessum esse, monuimus hic de *Lege Nat. §. 30.* Neq; *Lege Leviratus* Deut. 25, 5. de Matrimonio in gradibus prohibitis proprie dispensatū fuit: si enim hoc de fratre Germano intelligatur, casus peculiaris fuit, quo Deus conservationi tribuū prospicere voluit; vel si de cognato proximo extra gradus prohibitos intelligatur, ut quidam volunt, quale fuit conjugium Boas cum Ruth, Ruth. 3, 9. tunc Dispensationis hypothesis cesat. Neque Exod. 12, 33. 36. dispensatum fuit de *Lege furti.* Nam Ægyptii vasa illa Israelitis ultro concesserunt v. 36. neque ea repetiisse, sed Israelitas ejecisse leguntur. 2. Deus tanquam supremus Dominus & justus Judex vasa Ægyptiorum transtulit in Israelitas, in mercedem

cedem

cedem præcedentium laborum & duræ servitutis.

L. Adj. V. est *Duratio* Legis Moralís. Ut enim ratione *Originis Æterna* est, in æterna Dei Sapientia, Justitia & Sanctitate fundata; quo respectu *Judæi Legem septem Rebus antefecularibus* accensent: Ita ratione *Promulgationis* tempore quidem V. T. in Monte Sinai lata atque orta; ratione tamen *obligationis ac directionis* sub N. T. quoq; perpetua est, Matt. 5, 17. c. 19, 17. Matt. 22. 37. seq. Luc. 10, 28. c. 17, 10. Rom 8, 12. c. 13, 8. seq. Jac. 2, 10. 11. & 1 Joh. 2, 7. 8. ubi Apostolus *Præceptum Charitatis, Vetus & Novum*, emphatice vocat. Et Evangelium Christi id quod Christus docuit, credendum, quod præcepit agendum, quod sancte vivendo, egit, imitandum, & quod promisit sperandum, proponit, vitam Legi conformem requirit, Tit. 2, 11. 12. & Judicium extremum secundum opera aliquando habendum docet Matth. 25, 34. 35. 2 Cor. 5, 10.

LI. Non ergo Lex moralis sublata s. abrogata est, nisi 1. *quoad Maledictionem*, cui suberant Veteres, Gal. 3, 10. *Quic. ex operibus Legis sunt sub maledicto sunt: Scriptum est n. Maledictus omnis, qui non &c.* Verum Gal. 3, 13. *CHRISTUS nos redemit a maledicto Legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus qui pendet in ligno.* 2. *quoad Justificationem.* Rom. 3, 20. Gal. 3, 10. 3. *quoad coactionem & rigorem*, qui sub V. T. obtinebat, quia non sumus amplius sub *Oeconomia Legali*, qua Spiritus Servitutis regnabat; sed sub *Dispensatione Evangelica*, qua Spiritus adoptionis viget, Rom. 8, 15. Gal. 4, 5. 6. 7. per quem *Jugum Christi fit leve*, Matth. 11, 30. & *mandata ejus gravia non sunt*, 1 Joh. 5, 3. *cujus vi Paulus omnia poterat*, Phil. 4, 3. secundum *Promissum V. T.* Ez 36, 26. 27. & Jer. 32, 39. Unde perpetua legis Moralís *Duratio dispalescit. quæ & ex Definitione ejusdem apparet, quæ est:*

LII. *Lex*

LIII. *Lex Moralis est jussum divinum perpetuum Tabulis duabus inscriptum, a Mose in monte Sinai promulgatum, conscientiam obligans ac dirigens ad internam & externam obedientiam, sub promissione præmiorum & comminatione pœnarum hujus & alterius vitæ.*

LIV. *De Origine Sabbathi dudum disputatum fuit & hodie disputatur; quam antequam definiamus, paucis observamus, Hebdomada s. Sabbathum esse vel Annorum, & quidem vel quinquagesimi, Lev. 25, 10. vel septimi cujusque Anni, Exod. 23, 11. Lev. 25, 4. Deut. 15, 1. vel Mensium, Num. 28, 11. Ps. 81, 4. vel Hebdomadam, Ex. 23, 15, 16. Lev. 13, 15. Deut. 16, 13. vel Dierum, Ex. 20, 8. II. c. 23, 12. &c. de quo hic controversia est: Cujus summam, & de ea mentem nostram, salvis aliorum hypothesebus, nos in sequentia Porismata contrahimus.*

LV. I. *Sabbathum est vel Externum & Corporale, vel Internum & Spirituale; vel Æternum & Cæleste. Illo corpus quiescit a laboribus Vocationis ordinariis, Ex. 20, 8. 10. Isto Anima quiescit a peccato, & missis terrenis, in sancto silentio, Deum ac divina contemplantur, Deoque internum cultum præstat, Jes. 66, 23. c. 56, 13. Heb. 4, 9, 10. 11. Joh. 4, 23. Luc. 17, 12. Col. 3, 16. Eph. 4, 30. Jud. v. 20. 21. Hæc Anima & corpus quiescit a peccato & pœnis peccati, æternumque Deo suo gaudet in cælo, Heb. 4, 9. 10. 11. Apoc. 14, 13. 2 Thesf. 1, 6. 7. Controversantur v. non de Sabbatho Interno & Spirituali, sed de Externo & Corporali.*

LVI. II. *In Præcepto IV. morale est, Deum colendum, & certo tempore colendum esse; ac proinde certum tempus Cultui divino tribuendum esse:*
F quic-

quicquid enim fit, aliquo tempore fit. Certum itaque tempus Cultui divino impendendum est, quo misis hujus mundi negotiis, quieta mente, Deo ejusque operationibus vacemus ac Dei Cultui, præsertim spirituali, nos tradamus.

LVII. III. Præcisa *Diei septimi* observatio non est Juris naturalis sed positivi; quod *contra Judæos, Ebionæos, Cerinthianos, & Apollinaristas*, communi nomine *Sabbatharios* vocatos, observamus & probamus (1) quia præcepta moralia, principium habent in ipsa natura; tale vero non est præceptum de observatione *Diei septimi*. (2) quia præcepto hoc fit determinatio cultus publici ad diem septimum, quæ cum sit tantum circumstantia temporis definiti, merito mutabilis, nec moralis, sed positiva & ceremonialis censetur. (3) ex fine hujus præcepti, qui fuit, ut esset *signum fœderis* inter Deum & Israelitas initi, Exod. 31, 13. Ezech. 20, 12. 20. ac *typus & umbra* futurorum, Col. 2, 16. 17. adumbrans duplicem fidelium quietem, *Spiritualem* s. *internam*, & *cælestem*. (4) Quia Sabbathata à Prophetis accensentur reliquis Cerimoniis & Festis Judæorum, Jes. 1, 13. Amos. 5, 21. in N. T. (5) ex verbis Christi Marc. 21, 27. 28. Matt. 12, 3. 4. 5. (6.) Pauli Col. 2, 16. 17. Rom. 14, 15. Gal. 4, 10. 12. (7) ab *absurdo*. si hoc præceptum strictè loquendo morale esset, obligaremur adhuc sub N. T. ad septimi diei observationem; nec translatio Sabbathi fieri potuisset in diem Dominicam. qua propter (8.) Sabbathariorum error in Ecclesia rejectus est. Epiph. Hæres. 30. Euseb. H. E. l. 3. c. 24. *Concil. Laod.* c. 29. &c.

LVIII. IV. Verisimiliora nobis videntur argumenta illorum qui statuunt: Sabbathum non cœpisse statim post *completam creationem* (1) quia in Genesi nihil de observatione Sabbathi legitur. (2) quia Adamus

mus

mus non opus habebat præcepto de Sabbatho fervando, quia singulis momentis Deum, præcipue mente colebat, nomenq; ejus sanctificabat & prædicabat adeoq; Sabbathum internum & spirituale agebat. (3) Quia Sabbathum requirit cessationem a peccato, qua Adamus opus non habebat quia innocens fuit. (4) quia die Sabbathi populus quiescere debebat ab operibus servilibus, quæ in statu innocentia non erant. Quod Gen. 2, 3. scribitur, id fit per *περόληψιν* s. *anticipationem*, quia Sabbathi institutio jam facta erat, cum Moses ista scriberet. Cujusmodi *Anticipationis* varia occurrunt exempla, ut Gen. 1, 27. seq. c. 35, 29. Exod. 10, 28. 29. c. 16, 33. c. 17, 6. 1 Reg. 22, 51. Matth. 26, 21. seq. Luc. 3, 19. 20. Joh. 11, 2. Vid. Glass. Philol. S. 1. 4. Tr. 2. obs. 28.

LIX. V. Neque etiam *tempore Patriarcharum* viguisse Sabbathum patet (1) quia Patriarchæ nusquam leguntur Sabbathum observasse. Recensentur aliæ ipsorum actiones. v. g. itinera, exilia, preces, Conjugia, adversa &c. nusquam tamen fit mentio Sabbathi observati, quod utique factum fuisset, si Sabbathi lex tunc temporis data atq; ab illis observata fuisset.

LX. VI. Sed Sabbathum demum in *deserto Sin* tempore *datæ Mannæ*, Exod. 16, 23. seqq. institutum esse patet (1) ex argumentis jam allatis. (2) ex circumstantia temporis, quo hæc Lex data est; fiebat autem legislatio illa tempore peregrinationis in deserto: Cum enim Israelitæ inter Gentiles vixissent, & in posterum inter eos vivere deberent, qui Solem, Lunam, Stellas &c. pro Diis habebant; Inde ut ab his discernentur, Sabbathi Lex eis imposita est, ut verum Deum, ut aliarum rerum creatarum ita & Astrorum Creatorem colerent, sibi que ab idololatria caverent. (3) quia Sabbathum

bathum in memoriam liberationis ex Ægypto institutum est, Deut. 5, 15. quod Israelitis post egressum ex Ægypto tantum applicari potest. unde (3) Nehemias quoque c. 9, 14. Sabbathum revocat ad tempora Mosis. præterea ap. Ez. 20, 10. 12. Deus profitetur, se *in deserto dedisse Sabbathum suum*. Suffragia *Veterum* adduxerunt Theologi Reformati nunc pro hac sententia nominandi, inter quos præcipui sunt *W. Musculus* in *L. C. de Sabbatho. Simlerus*. atque ex Theologis Anglicis, occasione Controversiæ hac de re Ann. 1633. motæ *Franc. White*, Episc. Eliensis in *a Treatise of the Sabbath day*. *D. Pet. Heylin*, in *The History of the Sabbath*. *Christoph. Com.* in *a Discourse of the Sabbath and the Lords Day*. *Joh. Prideaux* *Tr. de Sabbatho*. ex Belgicis, *Gomarus*, in *Investigatione Originis Sabbathi*. *Thysius*, in *Synops. Prior. Theol. Disp. 21. §. 13. 14. 15.* quibus accessit *Joh. Coccejus* *Tract. de Sabbatho*. quem secuti sunt *Burmannus*, *Wittichius*, *Momma*, *Braunius*, *Groenwegen* &c. ex Pontificiis non alieni sunt ab hac hypothese *Alph. Tostatus*, *Ben. Pererius*, *Suarez*, *Hier. Pradus*, *Bonfrer*, *Estius* &c. *it. Judæi non pauci.*

LXI. VII. In *N.T.* ut omnia Cerimonialia, ita & quicquid in Sabbatho Cerimoniale fuit, *sublatum est*. Ejusmodi quid vero in Sabbatho dari Christus innuit, 1. quia eodem loco illud habet, quo alias Cerimonias Legales, qualis fuit institutio de Panibus Propositionis ac Sacerdotum *λειτουργία* in Templo, Matth 12, 13. seqq. & Marc. 2, 27. 28. addit: *Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbathum; Itaque Dominus est Filius hominis & Sabbathi.* ejus ergo sanctio naturæ alius est a præceptis aliis Decalogi, obnoxia sc. Filio hominis, qui ejus abrogandæ jus habet, quod de reliquis Decalogi præceptis dici nequit: dignumque notatu est, quod Luc. 6, post vers. 5. vel 10. *secun-*

cun-

cundum varias Lectiones, in tribus Exemplaribus, hoc comma addatur: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινά ἐργαζόμενον τῷ σαββάτῳ, εἶπεν αὐτῷ. Ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας τί ποιεῖς, μακάριος εἶ. εἰ δὲ μὴ οἶδας, ἐπικατάρατος καὶ παραβάτης εἶ τοῦ νόμου. ne dicamus, 2. Christum cum Pharisæis de operibus Charitatis Sabbatho licite faciendis non semel disputasse, Luc. 14, 3. seq. Joh. 5, 9. 10. 17. 18. c. 9, 1. 14. 16. quia 3. Paulus Sabbathū ad Cerimonias Legis refert, Gal. 4, 10. *Dies observatis & menses, & tempora & annos; Timeo, ne forte frustra laboraverim in vobis.* & Col. 2, 16. 17. hortatur: *Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu aut in parte diei festi, aut neomeniā, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum; Corpus a. Christi.* Ubi per Sabbathata non intelligi possunt alia Judæorum festa, quia festa diserte à Sabbathis distinguuntur. add. Rom. 14, 5. Quo fundamento nixi Christiani tempus Cultus publici in diem Dominicum transtulerunt. Quod v. Præceptum de Sabbatho *Decalogo* comprehenditur, inde non sequitur illud mere morale esse: nam Decalogus non est tantum Legis moralis compendium, sed fundamentum totius Legis Mosaicæ & radix Cerimoniarum quoque, quibus eo tempore cultus Dei constabat, in tabula prima; ut Politicæ Judaicæ fundamentum est in 2da.

LXII. VIII. *Diei Dominicæ Origo* a quibusdam *immediate* ad Christum refertur, nixis tum Resurrectione, tum variis Apparitionibus, Christi, tum effusione Sp. S. eo die factis, Marc. 16, 1. seqq. Luc. 24, 1. Joh. 20, 19. 26. Act. 2, 1. seqq. Verum rectius *Origo Diei Dominicæ mediate* tantum ad Christum refertur, quat. Apostoli & Apostolici Viri, eosque sequentes primorum Seculorum Christiani præter diem Sabbathi, quem ad certum tempus etiam observarunt, hoc die, in memo-

riam Resurrectionis Christi, ad cultum Deo præstandū convenerunt, suoque exemplo & praxi eum diem Ecclesiæ Christi commendarunt: Sic n. legimus Act. 20, 7. *Prima Sabbathorum cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disseruit inter eos, profecturus postridie, protraxitque sermonem usq; in mediam noctem.* & 1 Cor. 16, 1. 2. *De collectis in Sanctos sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite: Prima Sabbathi unusquisq; vestrum apud se reponat, recondens quod ei placuerit, ne, cum venero, tunc collectæ fiant.* quo vulgo referunt illud Apoc. 1, 10. *Fui in Spiritu in Dominica die.* huncque diem sapientissime Cultui Divino consecrarunt. Cum enim Sabbathum Judaicum ac discrimen dierum sub N. T. sublatum; atque hoc tamen in Præcepto IVto morale sit, ut homo, Creatura Intellectualis, Deum non modo privatim, sed & publice, in cœtu Sanctorum colat, hoc vero sine tempore determinato fieri nequeat; utique, eum in finem, solennis aliqua temporis ac Diei determinatio fieri debuit: nec Christianus quispiam dubitabit, eam determinationem sapientissimam fuisse & esse, quæ Apostolorum Θεοπνεύτων, Apostolicor. & primitivorum Christianorū exemplo & praxi, in Diem Dominicū, facta est.

LXIII. Hoc ergo die Christiani merito in cœtum coeunt, & silentibus intus mundo & mundi negotiis, Deum ardentius quam aliis diebus, Psalmis & hymnis laudant, Verbum Dei audiunt & meditantur, ac Sacramenta venerabundi usurpant, Charitatem exercent, seque ipsos Deo, animo & corpore, consecrant, Mundo vacui Spiritus S. operationibus locum dant, nec tam externū quam internū Sabbathū perpetuo agunt, Jes 66, 23. atq; ita in hac vita σαββατισμὸν illum æternum præcipiunt, eundem in altera vita, beati, continuaturi, Heb. 4, 9. De Die Dominico vide *Confess. Augustan.* de Potest. Eccles.

cles.

cles. p. m. 43. & *Lutheri Catech. majorem Præcept. 3. pag.*
423. 424. 425. Edit. Lips. A. 1626. in 8.

DE LEGE POSITIVA I. CERIMONIALI.

I. **L** *Ex Positiva*, in *εὐδοκία* s. Voluntate DEI Libera
fundata, est vel *Cerimonialis* vel *Forensis*.

II. Lex Cerimonialis Hebr. dicitur *חוקים* statuta
Græce, a LXX. *δόγματα*. Latine usitatisime *Lex Ceri-*
monialis. Cerimonix vocem scriptam per æ vel deri-
vant à *Care* Oppido, ut Festus. vel à *Cæritibus*, uti Stra-
bo l. 5. & Val. Max. l. 1. c. 1. vel a *carendo*, ut sit quasi *Ca-*
rimonia; quod Cerimonia circa certarum rerum Ca-
rentiam occupetur. v. g. qua Judæi à carne suilla aliis-
que cibis abstinere cogebantur. Cui sententiæ favet,
Macrobius, Gellius &c. quam etiam probat Augustinus
& Bellarminus. Illi vero qui per simplex (e) scribunt
derivant vel a *Cerere*, vel a *gerere*, quasi esset *gerimonia*,
uti Camerarius; vel ab adjectivo *Cerus*, quod idem fuit
apud antiquos, quod *sanctus*; quæ sententia est, Jos. Sca-
ligeri. quam nos probamus.

III. Dicitur hæc Lex in S. S. Ephes. 2, 15.
Lex præceptorum in placitis. Coloss. 2, 14. *Chirogra-*
phum, quod contra nos. Heb. 9, 1. *instituta cultus*. Gal. 4, 3.
elementa mundi. item Col. 2. 8. 20. Heb. 9, 10. *δικαιώματα*
σαρκός Heb. 7, 16. *præceptum carnale*. Heb. 10, 1. *σκιά μελ-*
λόντων. Ezech. 20, 25. *statuta non bona*.

IV. *Lex Cerimonialis* est Dei ut summi Domini jus-
sum, obligans Judæos ad certam cultus externi for-
mam; ac datum, ut Judæos peccatorum convin-
ceret, ab Idolatria averteret, redemptorem ostende-
ret, ac promissa fœderalia mediantibus Sacramentis
& sacrificiis applicaret.

V. Auctor

V. Auctor est *Deus*, Exod. 25, 1. 2. Ezech. 20, 25. Dedit v. Legem hanc, quia positiva est, ut absolutus & supremus dominus. *Causa ministerialis* fuit Moses, Joh. 1, 17.

VI. *Objectum* circa quod, sunt vel Personæ Sacræ vel Res sacræ, vel Loca vel Tempora S. Personæ Ordinariæ sunt vel Sacerdos summus. Exod. 28, 29. Lev. 8, 16. vel sacerdotes gregarii. Lev. 4, 8. 18. 20. 21. Levitæ, Num. 8, 5. 6. seqq. Deut. 7. *Nethinæi*, ex Gibeonitis superstites, additi fuerunt Levitis ad vulgaria officia præstanda. *Extraordinariæ* fuerunt Prophetæ, Naziræi, & Rechabitæ.

VII. *Res sacræ* sunt 1. Sacrificia. Est v. *Sacrificium* actus quo res quædam visibilis, Sacerdotis ministerio, ritu in Lege præscripto, Deo offertur, ad convincendos homines de peccato, eosque de Sacrificio Christi aliquando in cruce offerendo certiores faciendos. *Hæc, ratione materiæ*, fuerunt triplicia (1) *Victimæ* (2.) *immolationes* (3.) *Libamenta*. Ad *victimæ* זבחים requirebantur animalia, boves, vituli, oves, hædi, &c. ad *immolationes* תנומת fructus terræ, panis, simila, Thus, sal &c. ad *libamenta* קטורת liquores v. g. oleum & vinum.

VIII. *Ratione formæ ac finis* sunt etiam triplicia. (1.) *Holocaustum*. Heb. עולה In quo agnoscebant Deum omnium rerum Dominum esse, & quia res oblata tota comburebatur, eo ipso confitebantur, se nihil à se ipsis; sed omnia à Deo habere. (2.) *Sacrificium pro peccato*, quod vel חטאת *ἀμαρτία*, Lev. 4, 2. Sacrificium pro impuritate ceremoniali vel noxis levioribus; vel si etiam pro gravioribus, tamen non ex superbia, aut manu elata factis, sed ex ignorantia s. imbecillitate humana admisis, Num. 15, 25. Lev. 6, 4. 6. vel חטאת *πλημμέλεια*, Lev. 5, 1. c. 7, 1. 2. quo certa quædam pecca-

peccata expiabantur, qualia erant, eorum, qui sacra infcii defraudabant, quo Sacerdotibus nocebant. qui rem alienam, apud se depositam, aut inventam, aut vi ereptam, aut iuterverfam, juramento abnegabant, Lev. 6, 2. 3. 4. it. ejus qui ancillā servo desponsatā compressisset, Lev. 19, 20. 21. In utroque sacrificio certū aliquod animal maētabatur. Quando vero ejusmodi Brutum pro homine maētandum erat, requirebatur ab ipso, ut peccatum suum humiliter confiteretur; ac tunc demum animal loco ejus maētabatur. (3) שְׁלָמִים i. e. *hostiæ pacificæ*, quæ offerebantur in gratiarum actionem, vel pro beneficiis acceptis, vel pro novis impetrandis. quarū una pars comburebatur, secunda cedebat sacerdoti, & tertia in usum offerentis.

IX. II. *Sacramenta*. *Circumcisio* & esus *agni Paschalis*. III. *Cibi*, atq; abstinentia a quibusdam, Lev. 11, 2. seqq. C. 17, 11. C. 19, 16. Devt. 14, 4. 21. IV. *Vestitus* & habitus Corporis Devt. 22, 11. V. *Ædium structuræ* Lev. 14, 34. VI. *Animalia bruta*. v. g. de non arando cum bove & Asino. Devt. 22, 6. VII. *Arbores* v. g. de nidis avium in arboribus. VIII. *Satio*. v. g. de non ferendis in agro diversis feminibus.

X. *Loca sacra erant, Tabernaculum & Templum Salomoneum*. cujus quatuor Partes, 1. *Atrium Gentium*. 2. *Atrium Judæorum*. 3. *Sanctuarium*. 4. *Sanctum Sanctorum*. *Tempora, Festa Legalia*, quæ erant vel *hebdomadaria*, ut Sabbathum; vel *menstrua*, ut Neomeniæ s. Novilunia; vel *Anniversaria*, ut Festum Paschatos, hebdomadum, s. Pentecostes, *Tabernaculorum*, *Dies Expiationis*, *Purim*, Festum *Encæniorum* s. Consecrationis; & Festa post annos aliquot recurrentia: *Annus* quisq; *Septimus* s. *Sabbathicus*, *Annus Shemitta* s. *Annus Dimissionis* dictus; & *Annus quinquagesimus* s. *Jubilæus*.

XI. *Forma* consistit in vi directiva & Coactiva temporaria Judæorum circa ritus externos.

XII. *Finis principalis* vel Evangelicus, est Christi & beneficiorum ejus significatio. Heb. 8, 4. 5. C. 10, 1. Col. 2, 16. 17. *minus principalis* vel Legalis est, (1.) Convictio de peccato, unde Lex post *μοροποιίαν* data fuit. Exod. 32, 7. 8. 9. 10. Ezech. 20, 21. seq. Jer. 31, 32. Heb. 8, 9. Gal. 3, 19. 2 Cor. 3, 6. 9. de qua Judæi dicunt: *Nulla venit calamitas in mundum, in qua non sit vigesima pars vituli istius* (2) Exprobratio peccati in vitulo aureo commissi, ut & reliquorum omnium. (3) Aversio Judæorum ab Idololatria gentilium, Gal. 3, 18. 19. Ezech. 20. (4) Judæorum a reliquis populis discretio. (5) redactio populi Judaici tanquam minorennis sub Pædagogiam ad coercendum ejus proterviam & duram ejus cervicem emolliendam. Heb. 12, 10. Rom. 8, 5. Gal. 4, 1. seqq. C. 3, 24.

XIII. *Adjuncta* 1. *Duratio temporaria*. Heb. 9, 10. Gal. 4, 1. 2. *Particularitas* obligationis. Solos tantum obligavit Judæos. inde Act. 15, 10. Apostoli noluerunt hanc Legem Gentilibus imponendam. 3. *Mutabilitas*, quæ infert IV. *Cesationem*, quæ probatur (α) quia præcepta hujus Legis erant mandata non bona. Ezech. 20, 25. quia in se & sua natura bona non erant, ut pote in solo Dei placito tantum fundata. præcepta carnalia. Heb. 9, 10. infirma & inutilia, Heb. 7, 8. (β) quia lex hæc ab initio lata non fuit. Non enim obligavit Patriarchas; quippe qui hanc Legem plane ignorarunt, & tamen Testimonium à Deo acceperunt fidei & fiduciæ in Deum. (γ) Quia Moses neque socerum suum Jethronem ad hos ritus suscipiendos adhortatus est, neque Jonas Ninivitas, neq; alii Prophetæ Chaldæos, Ægyptios, Sidonios, Tyrios, ad quos scribebant, adhortati sunt: neque

nēque eos ob hos ritus non susceptos unquam reprehenderunt; cū tamen omnia alia ipsorum peccata juxta ordinem recensentes redarguant. (δ) Quia hæc Lex data fuit in exprobrationem *μολοποιίας* qui reatus cum omnium populorum non fuerit, omnes etiam populos respicere non potuit. (ε) quia fieri non potuit, ut Leges istæ ab omnibus populis observarentur: Quomodo enim Americani ter quotannis Hierosolymas proficisci potuissent; & quo pacto Pontifex Maximus Americam semper petere, ibique ædes, an Lepra infectæ essent, inspicere ac perlustrare potuisset? cū tamē prædictum fuerit etiam de aliis Populis, ipsos DEum eodem cultu affecturos esse, Mal. 1, 11. Jes. 2, 2. Ps. 22, 27. Ps. 67. Ps. 72. Jes. 66, 20. 21. (ζ) Quia Lex Cerimonialis populo Israelitico tantum data fuit. Devt. 7, 26. c. 23, 3. Devt. 4, 5. 14. c. 6, 1. c. 11, 32. (η) Quia Lex Cerimonialis continebat umbram & Picturam rerum futurarum Heb. 10, 1. Corpore ergo præsentis umbræ istæ evanuerunt, & Leges hæc abolitæ sunt. (θ) Quia Oeconomia Mosaica mutari debuit, Gen. 49, 10. (ι) Quia Deus promisit se Fœdus novum pacturum esse cum populo suo. Jer. 31, 31. 32. Jes. 19, 18. 19. Psal. 100. (κ) Quia prædictum fuit: Christum sacrificia & munus aboliturum esse. Dan. 9, 27. & effecturum, ut *in omni loco suffimentum & munus purum offeratur DEO.* Mal. 1, 11. (λ) Quia Lex illa fuit *Pædagogus* ad Christum, Gal. 3, 23. *Maceries* inter Judæos & gentiles Eph. 2, 24. *Chirographon* contra nos, Col 2, 14. 7. quia, Lex hæc ad tempus *διορθώσεως* durare debuit Heb. 9, 10. (μ) Quia Deus Templum destruxit, & Hierosolymas, solo æquavit, Judæis in omnes gētes dispersis. (ν) Quia Act. 15, 10. 28. 29. decreto synodico hæc abrogatio confirmatur, qua statuitur: *Gentilibus Legem hanc imponendam non esse.*

XIV. Observanda tamē sunt Tempora Cerimoniarū Legis. *Vivæ* fuerunt sub tempore V.T. ubi quicunq; eas non observabat, vere fidelis non habebatur. *Mortuæ* vero sunt, moriente Christo; quo in cœlum evecto, & Spiritu S. in Apostolos misso, non tantum mortuæ, sed etiam *mortiferæ* factæ fuerunt. Gal. 5, 2. c. 4, 10. 11.

DE LEGE FORENSI.

XV. Dicitur hæc *Lex forensis* a *Foro*, quia in foro Judaico usitata fuit, fuitque tam civilis quam Criminalis Judæorum Lex. Heb. dicitur לְחֻקֵי הַדִּינִים Græce *δικαιώματα*.

XVI. *Lex Forensis* fuit Dei ordinatio per Mosen populo Israelitico præscripta, continens Præcepta politica in Civili Judæorum societate observanda, obligans Judæos ad Messiae usque Tempora.

XVII. *Causa efficiens* est Deus, Exod. 21, 1. seq. *Causa ministerialis* est Moses. Exod. 21, 1. seqq. *Objectum* sunt res politicæ, ad politiam Judaicam pertinentes.

XVIII. *Materia ex qua* sunt præcepta ipsa, ex quibus Lex hæc componitur. Harum Legum quædam sunt *Juris communis*, quæ omnes populos obligant. v. g. de ponderibus & mensuris, de depositis, de damnis illatis, de commodatis, de limitibus non transferendis, de usuris immoderatis vitandis, de pauperum, orphanorum, viduarum & peregrinorum Cura, de mercenariis mercede non fraudandis. Quædam sunt *Juris particularis*, quæ solos Judæos spectant, v. g. de potu Zelotypiæ, de Conjugio cum uxore fratris, Devt. 5, 5. Num. 5, 11. de hominibus honorum & publicorum munerum capacibus Devt. 3, 1. seqq.

XIX. *Forma* consistit in vi directiva & coactiva, sed

sed temporaria, circa forensia, quæ in foro Judaico observari debebant. *Finis* est conservatio Politicæ Judaicæ, Coercitio Petulantiaæ populi Judaici &c.

XX. *Adjuncta* sunt I. *Particularitas* obligationis, respectu illarum Legum quæ fuerunt Juris particularis. II. *Duratio*, quæ fuit temporaria ad adventum sc. Christi. Matth. 11, 13. Inprimis vero ad deletam Politicam Judaicam.

XXI. III. *Abrogatio* de qua in *defectu* errant Anabaptistæ, qui volunt hanc Legem prorsus & simpliciter abrogatam esse, ita ut ne Magistratum quidem hodie gerere debeat Christianus. In *excessu* peccant, qui statuunt, Legem hanc adhuc vigere, nosque etiam obligare, cui sententiæ favisse dicitur Carlstadius & Castellio.

XXII. Nos existimamus, ea, quæ in hac Lege fuerunt Juris particularis, abrogata esse; quæ vero fuerunt *juris communis*, ea non abrogata esse, sed adhuc obligare, quod probamus. 1. quia non tantum inter Judæos; sed & inter alias gentes ea obtinent. 2. quia præceptis Decalogi conformia deprehenduntur. 3. quia eorum observatio ipsis etiam Christianis inculcatur.

XXIII. Volunt Judæi, Legem Dei totam non tantum moralem; sed etiam Cerimonialem & forensam esse æternam & perpetuam, quod evincere fatagunt ex voce עולם, quia scilicet de hac Lege dicatur illam duraturam esse עולם in æternum. Menasf. ben Israel Conciliat. in Lev. q. 7. p. 194 Verum ipsi Judæi diffiteri nequeunt, vocem עולם non semper *absolutam* & *Perpetuam*, sed sæpe *Periodicam*, licet longam, Durationem significare: sic Ex. 21, 6. & Deut. 15, 17. De *Servo*, qui heri sui Domum deserere volebat, dicitur: *erit ei Servus in æternum*, i. e. ad Annum Jubilæi, quo o-

omnis servitus inter Israelitas finiebatur, Lev. 25, 39. 40.
 Sic Deus promittit, se Abrahamo & Semini ejus *in æ-*
ternum, daturum Terram Canaan possidendam Gen.
 12, 13. it. Sacerdotium Aaronis & filiorum ejus man-
 surum *in æternum* Ex. 29, 9. c. 40, 13. it. se nomen suum
 positurum in Templo Hieros. *in æternum*, 1 Reg. 4, 3.
 2 Reg. 21, 7. quæ tamen omnia defierunt. Lex itaque
 Mosaica *æterna* dicta fuit, quia ad Adventum *Seminis*
Abrahamo promissi debuit durare, in quo *Fædus novum*
 erigendum fuit Jerem. 31, 31. hinc ipsi Judæi distin-
 guunt inter *עולם הזה* & *עולם הבא* *seculum hoc* &
seculum futurum. Illud significat Tempora V. T. Et hoc
 sensu Lex durare dicitur *לעולם* ad seculi illius finem.
Seculum futurum ipsis notat vel statum Animarum post
 Mortem; vel *Tempora Messia*: Ad cujus tempora
 duratio Legis utique extendenda fuit, quod multi ex
 Judæis agnoscunt, nobiscum docentes, sibi tempore
 Messia licitum futurum Carnem Suillam edere. item:
Deum tempore Messia redditurum esse licita quæ ante fue-
runt prohibita. omnia Festa cessatura esse præter Purim &
Kippurim. item: Omnia sacrificia abolenda excepto sacrifi-
cio Laudis &c. Cujus rei hanc reddunt causam; quia
 Messias Mose major futurus potestatem habiturus sit,
 ea, quæ a Mose tradita sunt, abrogandi. Tandem conce-
 dimus, stare adhuc Legem hanc Cerimonialem & Fo-
 rensem (α) ratione Doctrinæ: extat enim in Codice Bi-
 blico & Legitur non tantū à Judæis; sed etiam a Chri-
 stianis. (β) quoad res significatas. v. g. Circumcisio ad-
 huc durat, non vero illa præputii & Carnalis; sed spiri-
 tualis.

XXIV. *Decretum Apostolicum* Act. 15, 28. 29. de
Abstinentin a sanguine & suffocato nos adhuc obligare af-
firmant non solum 1. Judæi. 2. Muhamedani. sed & 3. mul-
 ti

ti *Patres* tam Græci quam Latini, v. g. Origenes, Chry-
 fostomus, Cyrillus, Tertullianus, Minutius Felix, Au-
 tor *Quæstionum V. & N. T.* 4. tota *Ecclesia Græca*.
 5. Vir Celeberr. Christianus Becmanus *Peculiari Disser-*
tatione; it. Grotius, Salmas. 6. Ex Remonstrantibus Ste-
 phanus Curcellæus. *Negant* hodie. (α) Pontificii pas-
 sim. (β) Lutherani passim. (γ) plerique Reformati.
Affirmantes urgent, 1. quia Præceptum hoc tam sub
 Promissione quam in utroque Testamento proponi-
 tur, unde clareat, ipsos etiam Christianos obligare,
 quod probant ex Gen. 9, 4. Lev. 17, 14. Deut. 12, 16. 23.
 24. 25. Act. 15, 28. 29. 2. quia præceptum hoc sit mo-
 rale, quia Præceptis Noachi comprehendatur. 3. Ex
 Lev. 17, 10. 11. 12. 13. 14. ubi hæc Lex ab ipsis etiam pere-
 grinis observanda præscribitur, qui tamen aliis Legi-
 bus adstricti non erant. 4. Quia præceptum hoc non
 cum Lege scripta reliqua data fuerit; sed jam inter
 præcepta Noachica habeatur, & sub Promissione vi-
 guerit, ut n. 1. & 2. observatum. quæ sententia confir-
 mata est Canone Apostol. 63. Concilio Gangr. Aurel. 2.
 Constantinop. VI. can. 67.

XXV. *Negativa*, communior, probatur 1. ex
 Matth. 15, 11. *Non quod intrat in os, inquinat hominem*.
 Rom. 14, 14. *Nihil commune est per seipsum, nisi ei qui exi-*
stimat quid commune esse, illi commune est. 1 Cor. 8, 8. *Esca-*
nos non commendat Deo, &c. c. 10, 25. *quod in macello venit,*
manducate. 27. *quod vobis apponitur, manducate, nihil inter-*
rogantes propter Conscientiam. add. Col. 2, 21. 1 Tim. 4, 3.
 Tit. 1, 15. 2. quia Præceptum hoc non est morale, &
 perpetuum, sed Cerimoniale. 3. quia ad tempus tan-
 tum datum fuit; ne sc. Judæi ad Christum conversi vel
 convertendi offenderentur. unde 4. ἐπάναγκες, notan-
 ter, vocatur, tempore sc. scandali, quo vero cessante,
 constitutio illa cessare debuit & hodie cessat. cum Lex

Mora-

(56.)

Moralis fit perpetua ex rationibus §. L. adductis. Interim Pauli monitum hic observandum ex Rom. 14, 5. observandū: ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφροεῖσθω! Notandū quod *Confessio Augustana* Art. ult. circa fin. monet: *Apostoli* jusserunt abstinere a sanguine: quis nunc observat? quia ne ipsi quidem *Apostoli* voluerunt onerare *Conscientias* tali servitute; sed ad tempus prohibuerunt, propter scandalum. Est n. perpetua *Voluntas Evangelii* consideranda in Decreto.

XXVI. Nos DEUM rogamus, ut Legem moralem inscribat Cordibus nostris, efficiatque ut in Præceptis ejus constanter ambulemus!

CORRIGENDA :

Pag. 4. §. 7. lin. 2. post *Temporalis*; lege: & hæc vel *Moralis* &c.

Pag. 10. §. 24. lin. 4. lege: agibile, saltem in genere.

Pag. 19. §. 12. lin. 17. pro divellunt, lege: conjungunt.

Pag. 19. §. 15. lin. 12. pro Præceptum, lege: Præcepta. &c.



Corollaria Respondentis.

- I. **P**ost apostasiam populi & delictum circa *μοσχοποιαν* Decalogum apud carnales Israëlitas ex justo DEI iudicio transiisse in fædus operum affirmatur.
- II. Traditio Judæorum de septem præceptis Noachi, cum ea sint potissimum juris naturalis dictamina ex Decalogo tantum repetita & in eorum Republica ordine digesta usurpatave; ultimum autem planè Ceremoniale, nec ex Scriptura Sacra ullibi vel Adamo vel Noacho lata esse, imò de septimo contrarium constet, pro commento habenda.
- III. Traditio eorundem de septem rebus ante creatum mundum conditis, æq; fundamento caret.
- IV. Arcam fæderis ante destructionem templi primi per Chaldæos a Firmia procuratam, & ante adventum Messiae ad *παντοκρυσιν*, revelandam esse ex 2 Mæoch. 2, 5 -- 9. paradoxum videtur.
- V. Imò eam, ceu umbram & figuram rerum futurarum, perriisse credimus: Col. 2, 17. Apoc. 11, 9. Heb. 8, 13.
- VI. Quod in V. T. Pontifices M. & sacerdotes munia sacra debebant capite velato obire; in N. autem ex mandato Apostoli Præcones Evangelii hortentur eadem nudato vertice peragere 1 Cor. 11, 4. ad legem ceremonialem referri putamus.
- VII. Leges de cultu falsi Numinis, concubitu promiscuo, pœna cædis, talione, sagis, plagiaro &c. non pertinere ob delicta ad jugum Israelis impositum, sed ad conservandam Rempublicam, immutabilemque justitiam aliis hominibus debitam, indubium est.
- VIII. Cananæorum de terra promissa per Israëlem excisionis causam primariam fuisse maledictionem nepotis Noachi & statum servilem; secundariam verò idololatri-

am aliaque complura flagitia, clarum est. Gen. 9, 25.
item 15, 16.

- IX.** Subjectio Christi sub lege satisfactoria, dum degeret in terris, non fuit naturalis, quæ ab omni creatura rationali Deo debetur, sed peculiaris ex vi æterni fœderis & pacti Zach. 6, 13. Psal. 40, 8. 9.
- X.** Subjectio eadem sub lege duravit duntaxat ad mortem, quam post exaltationem, consequuta est glorificatio. Phil. 2.
- XI.** Christus, Angeli & sancti, quæ creaturæ in cælo Deo semper subesse debent, nihilominus propriè & strictè loquendo sub lege non sunt, subjectio enim sub lege & strictè dicit, sub ea esse, ut domina, obedientiam imperante, tanquam beatitudinis conditionem, nec eam prius addicente, quàm post conditionē præstitam.
- XII.** Magistratus & Iudices, in V. T. vices Dei gessisse ac eopse nomine אלהים indigitatos fuisse Ps. 82. hodie verò nomenclaturam illam eo sensu nulli competere mortalium, sole meridiano luculentius patet.
- XIII.** Ad jussum Saulis uon verum Samuëlem, sed spectrum aliquod arte Diabolicâ per Pythonissam esse excitatum affirmatur, 1 Sam. 28.
- XIV.** Per Prophetam e medio Israël post obitum Mosis à Deo exsuscitandum Deut. v. 18. neque Josuam, neque Firmiam, neque perpetuum prophetandi donum &c. ut Judæi hariolantur, sed Messiam verum illum Prophetam, de quo Job. 4. intelligendum esse, claret.
- XV.** Legem oralem à Deo traditam esse Mosi, nisi eam, quæ in Scriptura Sacra continetur contra Judæos & eorum sequaces negatur.
- XVI.** Leges ceremoniales in primitiva Ecclesia ab Apostolis eorumque successoribus solummodo propter charitatem infirmiorum aliquandiu toleratas, postea verò
ceu

*ceu umbras levesque picturas futurorum bonorum
prorsus antiquatas esse, affirmatur. 2 Cor. 5, 17.
Vetera præterierunt, ecce nova facta sunt o-
mnia. Heb. 8. &*

XVII. *Easdem sub prætextu eo, quod sint res adiaphoræ,
amplius in cætu orthodoxo tolerare, est in finibus
veteris Cananæ hære, saturam sitienti addere,
cum Tyro scortari & cum uxore Lothi faciem Sodo-
mam versus convertere. Deut. 29. Esa. 48. Gen. 19.
Apoc. 18. Luc. 17, &c.*



CHer & Savant ami, que je prends du plaisir !
à lire le Sujet qu'aves voulu choisir
Vous metes en beau jour le vrai Sens de la loi
Qui contient en di mors l' abregé de ma foi
C' est la regle divine qui conduit la raison.
Qui le pecheur dirige & lui Sert d'aiguillon,
Commences, à defendre la pure verité
Combates les erreurs le vice & l' impieié
Svivez toujours la route qui tend à la pieté
Par elle vous viendres à l' immortalirè
Vous Seres tryomphant par l' aide du Seigneur
Qui de son Izrael est le Seul Protectör
Puisiez vous desormais etre utile aux Fideles
Et cueillir de vos Soins des palmes immortels
C' est le desir ardent d'un cœur qui vous cherit
Qui voit avec plaisir que tout vous reussit.

*J'ai voulu metre ici ce peu de paroles pour
marquer l' affection que je porre à
Monsieur Tholdi,*

MICHEL de SIPOS.
Hongrois.

H 2

Legibus

Legibus ut summæ rationis vertitur * æther,
Omne genus volucrum spirantia quæque domantur; †
Sic animos, ædes & Cives Confociat lex:

Æternâ gentes sapientia lege regendas

Duxit, ab exortu rerum per secula quævis *a*

Hinc Urbes magnæ, populorum Commoda nata
Maxima Regna, suprema potestas Imperiorum.

Jura Duces decet, hinc scire, & Coluisse Barones. *b*

Quæ tamen esse queat prior. (hic mihi quærere sit fas)

Regula factorum? gravius quid judiciorum

Pondus, in asse notans precii discrimina justî?

Ignæ lex *c* est lux *d* hominum, via *e* fonsque salubris
Optima Dux vitæ *f* præsentis terque beatæ,

Quam statuit Deus in Capitolia celsa sionis *g*

Robur ubi Imperii emisit sanctissima, latè *h*

Sceptra ferentis & orbis oves sibi subjicientis;

Per flamen sanctum: cujus vi lex revirescit. *i*

Regia lex *k* inquam nullo peritura sub ævo.

Quam Christus sanxit Correcto Crimine Prisco

Scribarum atque senum populi Veterisque | Cathedræ

Sinaidos *m* Arabumque prius sub monte locatæ

Mortua nam fuerant sine mente volumina Mosis *n*

Hac sine sunt hominum *o* leges ceu triste Cadaver,

Mortua Membra Draconis *p* suntq; edicta Cruenti;

Bestia *q* dente vorax atque unguibus obvia vastans.

Cornua quæ bis quinque gerens tulit atque meretrix *r*

Et

* Ps. 19. † Rom. 20.

† Jac. 3. 7. * Jer. 10, 7. Ps. 93, 10.

(a) Prov. 8, 16. 23. 31. (b) Mich. 3, 1. (c) Deut. 33, 2.

(d) Prov. 6, 23. (e) Prov. 2, 8. f. c. 13, 14. (f) 4, 12. 29. 18.

(g) Esa. 2, 3. Mich. 4, 2. (h) Ps. 2, 6. 110. 2. (i) Rom.

7, 14. 8. 2. 5. (k) Jac. 2, 12. (l) Matth. 5, 19. 41.

Joh. 7, 23. (m) Exod. 24, 1. 8. Num. 11, 16. 24. (n) Rom.

6. 6. 2 Cor. 3, 6. (o) Jer. 10, 3. (p) Apoc. 12, 10. 17.

(q) 13, 5. 16. (r) 17, 1. 17.

Talia dictavit, dum blanda fefellit Amicos
Qui Coluere simul Convexæ climata terræ.
Fortis & Armigeri Ditis, tamen ille Ducum Rex
Et Regum fortissimus Heros, t vasa potenti
Jure jubebat. Justiniano diripienda.

Hiuc vos summarum Legum Clarissime Præses!
Et Jonathan Patriota animoq; fidelis Achates!
Pudentes geminæ Mysteria sacra tabellæ,
Invenistis eum, cujus secreta tacebant
Plurima secla, per umbrosos vix cognita lucos.

Hæc decuere pios quondam sua vota Canentes
Et Cytharis modulantes Cantica Mosis & Agni. u
Quorum turba secuta fuit Jesum fugientem
Per terras tractûsque maris sibi succiendos.
Ejus vim legum non terminat orbita Solis x
Imperium nunquam cadit & neque FINIET y ortus.

(s) Luc. 11, 22. Mar. 3, 17. Matth. 12, 29. Jes. 49, 24. s.

(t) Ps. 45, 2. (u) Apoc. 14, 3. 15. 2. 5. Rom. 16, 21. Eph.
3, 9. Tit. 1, 2. Col. 2, 17. Heb. 10, 1. (x) Ps. 72, 5. 7.

Mal. 1, 11. (y) Luc. 1, 33. Mich. 4, 7. Dan. 6, 27. 7, 14. 27.

*Praclaro ac Nobilissimo Dno. Nicolao Tholdi, contubernali po-
pularique ac syntropho per dilecto, Dissertationem presentis
argumenti Defensuro; Ex pleromate animi
colletabundi apposuit*

**GEORGIUS TÖRÖK, Jástfalvi-
ensis Transylvanus SS. Th.
Cultor.**

HUc celebrat dicitque simul Scriptura Beatum,
Qui Legem Domini meditatur nocte dieque,
Quid vetet, & jubeat? Studiosâ mente revolvit:
Hoc facis hic THOLDI Juvenis Lectissime, quando
Tractatum de Lege Dei defendis acutè,

H 3

Quid

Quid Lex Naturæ, quid Lex Divina requirat?
Quid doceat, valeat? Summa cum dexteritate
Monstras, cur meritò fœlix es terque Beatus,
Dignus & ut dignos sumas Virtutis honores.

*In honorem Doctissimi Domini Defendentis Nicolai Tholdi, latus
lubensque apposuit Petrus Almafi; Hungarus S. S. Theol.
Stud. Bataviâ redux dum commoraretur Fran-
cofurti ad Viadrum.*

*Erudito, modesto, ac pio Defendenti, Domino Nicolao Tholdi.
Amico pari nunc, ut olim, sinceritate conjuncto, voti-
vô hoc anathemate adgratulari volebat.*

Gloria. decrescit. pudeat. sinè fine. brabæum.
Sic sequitur. Squalor. nunquam. studuisse. ma-
nebit.

Urges. nequaquam. studiis. contraria. Leges.
Acriter. incasum. solidis. exlegibus. omnes.
Quas Mores. Natura. Deus. transcendere. spontè.
Dictant. ingenerat. posuit. malè. nec patiuntur.
Ergo. refutatus. meritò. mox. laude. carebis.
Plaudito. non. laurô. macctabere. digne. Tragædo.
Sic. probe vir. Legem. perdes. nomenq; Polumq;
Ampliùs. observando. malum. augebis. penetrabis.

*Redux ex Academiis Belgicis causâ commodioris iti-
neris opperiundi Hospes Francofurtanus*

**MICHAEL TECSI, Hungarus
Maramarusensis.**

Panè

Pannonia dum Phœnix, (fors nec rediviva) gemiscit,
Mœrent lugubres patriæ Dynastæ:
Ultor dum vastat Deus Hunnica rura triumphans,
Et lessum tristem minitantur
MARS, MORS.

Tu tamen impavidus versas pia dogmata LEGIS
Æterni Jôvæ via quæ per cœlos.
Quid Lex Naturæ poterat, Lex quidve Forensis,
Doctè commonstras meditando
verbum.

Nos Patriæ casum lacrymis deflemus amaris.
Lætus sed præsens recolis tu Musas.
Perge tuis Sospes Juvenis Doctissime cœptis
Optatô votô pia cedant Fata.

Erudito ac Honoratissimo Juveni Domino Nicolao Tholdi peregrinationis suæ molestissima Socio desideratissimo, Amico fraternâ necessitudine Conjuncto quando in Alma Viadrina Disputationem Theologicam De LEGE DIVINA solidè defenderet, lubens adscribat redux ex Belgio

JOSEPHUS DEAKI, Transylv.
Hungarus.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



Coll. Diss. A 181, misc 10